


36X

Wiener Stadt- und Landesbibliothek 1764

6180 B

MA 9 - SD 25 - 13,5 - 925 - 117048 - 22




Wiener Stadt- und  
Landesbibliothek

6180 B

MA 9 - SD 25 - 13,5 - 925 - 117048 - 22









*D. 6153*

BREVIS NOTITIA

VRBIS VETERIS

VINDOBONÆ

EX

VARIIS DOCUMENTIS

COLLECTA

IOSEPHO II

ROMANORVM REGI

SEMPER AVGVSTO

AB

AVSTRIACA IESV SOCIETATE

IN

ÆTERNÆ OBSERVANTIÆ MONVMENTVM

OBLATA.


VINDOBONÆ,

TYPIS IOANNIS THOMÆ TRATTNER, CÆS. REG. MAIEST. AULÆ  
TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLÆ.

MDCCLXIV.

B 6. 180

3. 2. Ex.



*J. be.*

IN 339. 895

Bibliothek  
Walter Sturming

IOSEPHO II

DEI GRATIA

ROMANORVM REGI

SEMPER AVGVSTO,

GERMANIÆ REGI,

HVNGARIÆ, BOHEMIÆ &c.

HEREDITARIO

PRINCIPI,

ARCHIDVCI AVSTRIÆ &c.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO.

IOSEPHO II

DEI GRATIA

ROMANORVM REGI

SEMPER AVGVSTO

GERMANIAE REGI

ARCHIDVCI AVSTRIAE

ET

PRINCEPS

ARCHIDVCI AVSTRIAE

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO

# AVGVSTE REX,



*Dum Regia Imperii Romani corona ornatus Austriae TVÆ TE reddis, & ei, quæ TE nascentem excepit, principi Austriacarum urbium Viennæ sacrum illud virtuti TVÆ pridem debitum ac destinatum diadema infers, patere, ut ad pedes Regiæ Majestatis TVÆ prostrata Austriaca IESV Societas publicum hoc TIBI pietatis in TE suæ, ac observantiæ Romano Regi debitæ tributum persolvat. Tenue illud quidem, si pretium, si molem respicias; at vel eo nomine satis illustre ac splendidum, quod plane confidimus, argumentum in eo pertractatum non ingratum TIBI, nec injucundum fore. Viennam urbem complectitur, felicissimam tot Regum*

atque Cæsarum altricem, Viennam, quæ TVIS TVORVMque longa serie Majorum augustis natalibus multo justius, quam aut vetustate suæ originis aut late circumducto murorum atque aggerum ambitu, aut ædificiorum splendore gloriatur, illam denique Viennam, cui hoc tempore ad absolutam omnibus numeris felicitatem id unum deesse videri poterat, ut virtutes plane Regias, quas tot jam annos in TE suspexerat, etiam coronatas videret.

Anni abierunt ducentis plures, e quo munifica Augustorum Majorum TVORVM clementia Societati nostræ hanc ipsam in urbem primos aditus patefecit, & huc missos a Divo Ignatio socios non  
ea,

ea, quam a potentissimis Principibus, sed quam  
vix ab optimis Parentibus exspectare poteramus,  
benignitate complexa fuit. Hac ipsa in urbe pri-  
mum in Germania stabile domicilium iisdem lar-  
gentibus fiximus: ex hac in Provincias & Regna  
Austriaco imperio subdita colonias duximus: in  
hac adversus malevolorum invidiam, & acerrima  
eorum, qui priscas sanctissimas Religiones ever-  
sum ibant, odia Augusto favore protecti ad schola-  
stica non minus quam ecclesiastica pulpita admissi,  
iisque, quibus in hanc usque diem fruimur, bonis  
omnibus cumulati sumus.

Quod

Quod igitur hoc tempore, quo hæc urbs una nobiscum ob auspiciatissimum TVVM ab Imperii Comitibus reditum omnibus incedit lætitiis, offerri TIBI a nobis possit opportunius munus, quam hæc urbs eadem? quæ, quoniam optime novit, & quantum Augustis Parentibus TVIS, & quantum TVIS gloriosissimis Majoribus debeat, vel exinde pariter satis intelligit, quantas habeat de hac TVA in Regem Romanorum electione causas lætandi.

Nobis vero, ut has Viennæ veteris notitias Augusto Nomini TVO inscribere auderemus, & hoc exiguo munere aliquam a TE gratiam nos ini-

tu-

turos speraremus, illud potissimum stimulos addidit, quod sciebamus, tantum esse *TVVM* in hanc urbem amorem, tantam propensionem voluntatis, ut inter plurima eruditæ vetustatis monumenta, quorum cognitionem jam inde a prima ætate mire adamare cepisti, nullis oblectari magis consueveris, quam iis, quæ diversis de hac urbe veterum scriptorum opinionibus aliquid lucis aspergunt, ejusque primam originem, situm, limites, vetusta ædificia, repetitis inde ab ultima priscorum annalium memoria documentis, ita definiunt, ut *Vindobonæ*, aut *Favianæ* veteris quædam rudera vel in hoc ipso *Viennæ* hodiernæ splendore agnoscere liceat & contemplari.

XX

Quod

Quod quidem eruditæ investigationis genus est  
sane, cur **TIBI** præ alio quovis arrideat, quan-  
doquidem in eo, quocunque inciderint, oculi **TVI**  
**Majorum TVORVM** Augustæ in hanc urbem be-  
neficientiæ, religionis, pietatis, virtutis bellicæ, il-  
lius denique, cui satis celebrandæ nulla facundia  
par est, Austriacæ Majestatis ubivis impressa ve-  
stigia legant est necesse. An enim fieri potest, ut  
**TIBI**, dum hæc scrutaris, non identidem in men-  
tem veniat illud Octaviani Augusti gloriantis in-  
ter suos: Luteam se accepisse Romam, marmo-  
ream relinquere? an fieri potest, ut e priscis mo-  
numentis antiquos illos tam arcuos murorum Vien-  
nam cingentium limites non tam oculis, quam  
ani-

animo perspicaci definias, ut viles Hunnorum, Avarum ac Vinidorum, qui olim hic sedem locarunt, casus in memoriam revoces, ut destitutum sacro Pastore gregem, ac pæne oblitteratam tanto temporis intervallo Episcopatus Favianensis memoriam legas, ut sacræ alicujus ædis, quæ majestate supremi Numinis digna fuerit, mentionem per complura secula frustra requiras: ac dein ad eam, de qua sibi hodie Vienna gratulatur, amplitudinem, magnificentiam, elegantiam convertas oculos, quin continuo velut superstites in tot Augustæ suæ liberalitatis monumentis intueri TIBI videaris grandes illas Avorum, Atavorumque TVORVM animas, RUDOLPHOS, MAXIMILIANOS, FER-

DINANDOS, LEOPOLDOS, JOSEPHOS, CAROLOS?  
quorum illi pomœria latius promoverunt, hi fossis  
& propugnaculis arcuerunt hostem, majestati sa-  
crorum alii, alii securitati urbis, alii munditiæ,  
splendori, commoditati, hi ægris & senio conse-  
ctis, qua licet, ope recreandis, illi alendis egenis,  
peregrinis comiter excipiendis, erudiendæ ac edu-  
candæ juventuti, omnes fovendæ atque augendæ  
pro viribus in Numen Optimum Maximum popu-  
li pietati tot templis ubique conditis consuluerunt.

Quamquam quid Avos Atavosque loquimur?  
quis vel eorum inierit numerum tam illustrium hu-  
jus urbis ornamentorum, quæ sub gloriosissimo im-  
pe-

perio Augustorum Parentum TVORVM paucos  
intra annos (quibus utinam Superi quam plurimos  
adjiciant!) inis e fundamentis consurgere nostra  
hæc ætas vidit? Obstupescant posteri certe ac suis  
fidem vix habebunt oculis, dum tot ac tanta intue-  
buntur monumenta Paternæ illius & Maternæ  
providentiæ dicamus? an sollicitudinis? an magni-  
ficentiæ? an liberalitatis? quibus factum est, ut  
hæc urbs universa brevi tempore novam faciem in-  
dueret, dum & novis iisque firmissimis adversus  
hostem propugnaculis munita, & splendidissimis  
ornata ædificiis, & felici rerum omnium ad vitam  
alendam necessariarum abundantia cumulata fuit.  
Ut adeo, si quando Viennam veterem cum nova

conferre volupe fuit, aut si quando fuit, cur hæc literis diligenter consignata transmittere ad posteritatis memoriam oportuerit, nunc id sit potissimum, dum quidquid in hac urbe de priscorum seculorum ruditate superfuit, ita feliciter abstergitur, ut nihil non præclarum, grande, magnificum, elegans in ea sit reperire.

Quo accedit & illud, quod eadem, quam celebramus, Vienna, quam Augustorum nostrorum munificus favor talem tantamque reddidit, se a jugo servitutis Turcicæ, quod jamjam subitura fuerat, servatam non alteri potius grata adscribit, quam gloriosissimo Proavo TVO Leopoldo

*Lotharingiæ & Barii Duci, supremo tum Cæsarei exercitus Imperatori. Magnam nobis partem veterum de rebus Viennensibus documentorum funestum illud atrocissimi post hominum memoriam belli incendium eripuit, multa in suburbanis templis ac ædibus, multa in pagis & oppidis circumstitis flammæ hauserunt, multa barbarorum furor non modo e conspectu hominum, sed etiam e memoria plane submovit, multa ut e publicis etiam tabulariis (quæ quidem, quoad licuit, diligenter inspeximus) interirent, impendentis exitii metus effecit. At ne interirent omnia, neve simul eodem casu cum urbe vetustissima omnes vetustarum notitiarum in ea latentes reliquiæ abolerentur, hujus*  
for-

2

fortitudini, consilio, constantiæ, virtuti bellicæ  
debere se Vienna profiteretur. Tantoque istud pro-  
fiteretur libentius, quanto majore cum admiratione  
commodoque suo jam sæpe sæpius in Augusto Leo-  
poldi Nepote FRANCISCO Genitore TVO  
eundem plane, tametsi non eodem in discrimine,  
Paternum erga se amorem, eandem intrepidi me-  
diis in periculis animi magnitudinem, idem auxi-  
lium est experta; sive cum atrox flammaram vis  
medio etiam intempestæ noctis silentio privatis qui-  
busvis, & a Cæsareo palatio longissime remotis  
ædibus perniciem minaretur, sive cum aquarum  
late omnia evastantium terrifico impetu frequentis-  
simum suburbium haud longe ab interitu abesset,  
cum

*cum Ille continuo Principem oblitus Patrem induit, aut verius Paterna de fortunis & vita civium sollicitudine optimum se illis Principem ac Patriæ Patrem probavit, neminique reliquit dubium, quid esset facturus, si occasio ita ferret, resque posceret, pro salute universorum, qui vel pro paucorum commodo caput suum tantis periculis obijcere non dubitavit.*

*A TE porro, AVGVSTE REX! his utrinque Majoribus edito, & non sanguinis magis, quam Regiarum utriusque stirpis virtutum hærede quid sibi hæc urbs polliceatur, quis dicendo expresserit? Ad concitandas de TE in omnium animis spes*

)( )( )

am-

amplissimas satis jam hoc unum fuerat, quod vidimus, non sine arcano Cœli consilio utramque stirpem, tametsi dudum in suis Progenitoribus eandem, novo tamen, eoque auspiciatissimo nexu rursus in unam debuisse coalescere, ut TV tantus nascerere. Et procul dubio vel hoc unum eos, penes quos eligendi Romani Regis jus est, ab omni non errore solum, sed etiam errandi periculo tutos præstitisset, quod sciebant FRANCISCI & MARIÆ THERESIÆ Filium a se ad capefendum diadema Regium invitari. At nempe TIBI hoc satis non erat, neque TE illo fastigio satis dignum putasses, nisi præter avitum sanguinem, & Majorum virtutem, & Parentum immor-  
ta-

talem gloriam attulisses etiam de TVO plurima,  
quæ non solum bene de TE sperare, sed penitus  
confidere universos juberent. TVAMET nimirum  
indole, TVIS moribus, promeritis TVIS,  
TVARVM virtutum pulcherrimo splendore spes  
de TE conceptas aluisti, corroborasti, auxisti,  
eoque rem adduxisti, nemo ut non intelligat, ho-  
norem hac in electione TIBI delatum, tametsi est  
amplissimus, istius modi tamen esse, ut plus a TE  
splendoris accipiat, quam in TE refundat. Fuit  
olim, cum TE, nec immerito, Augustorum Pa-  
rentum delictum & spem nominabamus: TVA  
virtus effecit, ut jam eorum gloriam appellemus,  
neque jam ex Illis TE, verum ex TE Illos me-

tiamur, neque sit quispiam, qui ad TE propius cognoscendum admissus imperare sibi possit, quin exclamet: Qui tanti talem genuere Parentes?

Quod si aut instituti hoc loco sermonis limites, aut TVA id nobis indulgeret pulcherrima virtutum reliquarum custos modestia, o quanta forent, quæ a nobis hic recenseri possent non jam indicia dubiæ spei, sed certissima pignora felicitatis publicæ, quam in TE, atque adeo a TE sibi non una hæc urbs (tametsi hæc præ plurimis) sed universa Austria, sed Regna & Provinciæ, sed omnis Germania, sed Romanum, qua patet, Imperium velut jam præsentem ante oculos sistit.

Non

*Non enim illa commemoraremus, quæ, quantumvis firma sint optimæ spei argumenta, iis tamen similia sunt arborum floribus, qui maturos fructus in longius tempus differunt, & non raro promittunt liberalius, quam repræsentant. Non adduceremus in medium traductam in Scientiis omnibus mira felicitate ingenii, solertia mira, neque dispari temporis celeritate condiscendis teneram ætatem: non pendentem e Parentum nuibus (quæ prima est olim bene imperaturi disciplina) adolescentiam: non ingenium perspicax, indolem placidam, clementem & comem in omnes animum, amorem Patriæ, boni publici promovendi desiderium, cor alienis calamitatibus magis, quam*

propriis incommodis facile commoveri. Sint hæc sane, uti sunt, & suapte grandia, & tanto majora in Principe gubernandis olim tot Regnis nato, quanto altius eum ultra sortem reliquorum hominum ipsa nascendi conditio evexit; a nobis tamen nihil jam istorum attingeretur.

Sed ad illa converteremur celebranda, quæ TV intentis in TE omnium oculis magis jam confirmata ætate præbuiſti, atque adeo nunc præbes, specimina, ad illa corroboratæ jam virtutis illustria decora, quæ TE Regem oculis nostris exhibuerunt etiam ante multo, quam coronarere. Illam diceremus virtutem, quæ Majorum vestigiis insistere non contenta in exemplum jam ipsa transierit

rit, & quam lucet splendide, tam efficaciter intuentes ad imitandum invitet, imo trahat: illum tam excelsum & majorem omnibus humanis casibus animum: illud tam ardens Divini cultus & avitæ pietatis promovendæ studium: amorem illum æquitatis, & paratam perferre potius ac perdere, si necesse sit, omnia, quam suum cuique non reddere voluntatem: illam in consiliis sive exquirendis sagacitatem, sive suggerendis promptitudinem, sive eligendis perspicaciam Augustis Parentibus TVIS (quantis arbitris!) in illo etiam suo, ad quem omnes tot Regnorum gravissimæ causæ referuntur, sanctiore Senatu, in quo TE suo lateri assidere voluerunt, mirificè probatam.

Hæc

Hæc nimirum, atque adeo totum illum virtutum TVARVM comitatum, quo ita præis, ut trahi se ad sequendum omnes sentiant, nemo sit, qui se assequi præeuntem posse confidat, recensere, hæc dicendo celebraremus, de his primum huic urbi, tum omni Austriæ ac toti Romano Imperio, Europæ denique universæ, quam tanti Principis tam exquisitæ laudes & recreant & beant, gratularemur. At enim nobis hic excurrere latius non licet. Virtutum autem TVARVM multo est illustrior ac multo latius diffusus splendor, quam ut nostro debeat calamo commendari.

Itaque finem facimus, & coram eo, ad quod TVA TE virtus plaudente universa Germania  
nuper

nuper evexit, Regali folio in genua provoluti hoc  
TIBI supremum Regiæ in Sacro Romano Impe-  
rio dignitatis culmen gratulamur, id unum a Re-  
gia TVA Majestate postulantes, ut cætum no-  
strum & olim ab Augustis Majoribus TVIS in  
Germaniam evocatum, & in eadem non alterius  
magis quam Austriacorum Principum perpetua  
beneficentia sustentatum, auctum, ornatum eo  
apud TE gratiæ loco, ad quem nos antehac ad-  
misisti Archidux, etiam REX consistere patiaris:  
has autem urbis tot titulis ac nominibus TV Æ  
notitias clementi vultu intuearis, ac ita TIBI  
persuadeas, non aliud nos ad eas sive colligendas,  
sive publicam in lucem proferendas stimulasse, ni-

)( )( )( )(

fi

*si TIBI obsequendi studium, neque aliud eas esse,  
nisi tenue pignus illius in TE amoris, pietatis,  
ac observantiæ, qua nostra omnium corda TIBI  
penitus devincta habes, & illorum votorum, quæ  
pro TVA, totiusque Augustæ stirpis TVÆ in-  
columitate, felicitate, gloria quotidie facit, sem-  
perque factura est*

AVGVSTÆ REGIÆQVE MAIESTATI TVÆ

DEVOTISSIMA  
AVSTRIACA IESV SOCIETAS.

# LECTORI

---



Habe Lector amice! brevem Veteris cumprimis VINDOBONÆ notitiam! brevem ajo: siquidem, ne prolixior sit, illud me CALLIMACHI absterret: *Magnus Liber, magnum malum.* Neque metue, perspicuitati operis aliquid detractum iri brevitate; stylo utor planissimo, sæpe verbis documentorum, sæpius vocibus civitate, utut non Romana donatis; malo quippe intelligi quam laudari. Fiet hac ratione, laborem is saltem ut probet, qui plana & compendiaria methodo certi aliquid de celeberrima urbe nostra scire exoptat. Plures de Augusta hac Cæsarum sede scripsere, quos inter præcipui sunt ENENCKELIUS, HASLBACHIUS, ÆNEAS SYLVIUS, CUSPINIANUS, LAZIUS, ABERMANNUS, LAMBECIUS, KÜCHELBÖKERUS, FUHRMANNUS; verum aut ficcius aliqui,

aut prolixius: omnes instrumentorum, quæ tardius in lucem protracta sunt, penuria, documentis non semper certis usi. Antiquiorem idcirco, ac demonstrari potest, ætatem Urbi huic aliquorum in eam amor tribuit, aliorum novitatis magis ac veritatis studium de ejusdem vetustate detraxit nimium. Optime me quidem iudice de hac agit in Annalibus Principum Austriæ ex stirpe Babenbergica SIGISMUNDUS CALLESIUS sæculo nostro præmature ereptus. Hunc ego præter Authores synchronos ac documenta authentica ut plurimum secutus sum, adjuncto labore sane operoso coram lustrandi omnia ac inspiciendi, conferendi inter sese, quæque ad rem meam facerent, inde eruendi. Si recte, gaudeo; sin minus, recte me voluisse, gaudebo. Quod si aut plura, aut certiora, ac ego affero, quis mecum communicet, is mihi beneficium frustra hæctenus a pluribus exoratum præstabit. Ceterum omnibus, quæ ex meo aut aliorum sensu attuli, majorem fidem non postulo, quam aut ratio, aut conjectura verosimilis admittit. Vale!

IN-



---

# INDEX CAPITVM.

---

## C A P V T I.

De antiquitate Urbis.

## C A P V T II.

De dignitate Urbis VINDOBONÆ.

## C A P V T III.

De nomine Urbis VIENNENSIS.

## C A P V T IV.

VIENNAM eandem esse cum antiqua VINDOBONA ostenditur contra KÜCHELBÖKERUM.

## C A P V T V.

VIENNAM eandem esse cum FAVIANA demonstratur contra LAMBECIUM, & PAGIUM.

## C A P V T VI.

VINDOBONAM, seu FAVIANAM nunquam penitus interiisse, vel ad unam venatorum domum, PIRKHOFF, nunc PERGHOFF redactam esse, saltem per longius tempus, ostenditur contra HASLBACHIUM, LAZIUM, & alios, ex eorum temporum historia, usque ad CAROLUM M., qui primos AUSTRIÆ Marchiones instituit.



### C A P V T VII.

Res VIENNAM attinentes sub CAROLO M. usque ad OTTONEM III., sub quo Marchiones limitis Orientalis ex familia BABENBERGICA constituti sunt.

### C A P V T VIII.

Chronicon BABENBERGENSIUM Austriae Marchionum usque ad primum Austriae Ducem HENRICUM JASOMIRGOTT.

### C A P V T IX.

Acta HENRICI JASOMIRGOTT primi Austriae Ducis, cum corollariis urbem nostram attinentibus.

### C A P V T X.

De amplitudine Urbis VINDOBONÆ.

### C A P V T XI.

Uterior VIENNÆ ampliatio, & munitio sub Ducibus Austriae usque ad obitum FRIDERICI Bellicosi.

### C A P V T XII.

Res Viennenses ab obitu ultimi Austriae Ducis ex BABENBERGICA gente, FRIDERICI Bellicosi, usque ad Regimen Principum HABSPURGICORUM.

### C A P V T XIII.

De Templis & Principum aulis veteris VIENNÆ.

### C A P V T XIV.

De sacris Curionibus, & Præpositis VIENNENSIS Ecclesiae.



C A P V T XV.

De Templis, & facellis, quæ fere omnia nostra  
ætate in Urbe & Suburbiis publicum accessum præbent.

C A P V T XVI.

De Episcopis VIENNENSIBUS.

C A P V T XVII.

De Portis VIENNÆ.

C A P V T XVIII.

De Turribus antiquæ Urbis.

C A P V T XIX.

De Studio VIENNENSI.

C A P V T XX.

De Moneta Urbis VIENNENSIS, & Ducum Au-  
striæ, usque ad HABSPURGICOS.

C A P V T XXI.

De variis dominiorum ac bellorum vicibus, quas  
VIENNA experta est, deque ulteriori ejusdem ad æ-  
tatem usque nostram munitione.

C A P V T XXII.

Tabulæ Genealogicæ, Chronologicæ, ac Ne-  
crologicæ Principum Austriæ BABENBERGICORUM, cum  
præcipuis eorum gestis.



C A P V T XXIII.

Locus sepulchrorum Principum ex Domo BABENBERGICA defunctorum.

C A P V T XXIV.

Explanatio Ichnographicae delineationis.






NOTITIA BREVIS  
DE  
URBE VINDOBONENSI.

---

CAPUT I.

*De Antiquitate Urbis.*

---



Illustre antiquitatis signum VINDOBONA  
habet: quandoquidem circa ejus primordia  
investigantium industria laborat; ut de Me-  
diolano ERYCIUS PUTEANUS scribit.

Clara distinctaque VINDOBONÆ mentio primum  
fit sub Imperatore M. AURELIO PHILOSOPHO, *in ejus*  
*Itinerario apud Wesselingium* pag. 233. Edit. Amstelod.

*Notit. Vindob.*

A

Occur-



Occurrit sub eodem nomine in *Tabulis Peutingerianis*, apud M. VELSERUM pag. 739. Edit. Norimberg. & in *authographa Peutingeriana Tabula*, quam in Palatina Viennensi Bibliotheca inspexi, exhibente clarissimo FORLOSIA, ejus Bibliothecæ tum primo Custode.

De eodem Imperatore scribit AURELIUS VICTOR c. 16: *ævi validior Vendobonæ interiit*. Nimirum Anno Christi 180. XVII. Kal. Aprilis.

Confirmat EUTROPIUS in *Histor. Miscell.* c. 17. de M. AURELIO loquens his verbis: *Obiit in Pannonia apud oppidum Vindobonam*.

Consentit NICEPHORUS CALLISTUS L. 3. c. 31. de eodem inquires: *Ad Vendobonam decessit*.

Neque tamen sub M. AURELIO primum condita VINDOBONA est; quippe jam digna, quæ tantum Imperatorem & viventem sinu suo exciperet, & mortuum. Quin de filio ejus COMMODO scribit HERODIANUS L. 1. c. 5. sub finem; quod habita post patris mortem ad milites adloquutione in aulam reversus sit: *εἰς τὴν βασιλειον ἐπανήλθεν αὐλὴν*. Et quamvis urbem non nominet HERODIANUS, sed PANNONIAM duntaxat, ubi M. AURELIUS fati concesserit, de VINDOBONA tamen intelligendus est; cum optimi authores consentiant, hac in urbe M. AURELIUM decessisse.

Quo nominatim anno VINDOBONA condita sit, in incerto est: ejus tamen prima incunabula SEBASTIANUS



INSRUGGER S. J. in sua *Austria Mappis Geographicis distincta* P. I. pag. 19. non incongrue refert ad annum Mundi 3390, quo fere tempore merfis Albi & Viadro Vandalis, Venedi aliqui, seu Vinidi Danubium transgressi, hic loci sedem fixerunt. Correspondet hic annus secundum BRIETIUM anno urbis conditæ 690, ante Christi Natales 63tio, quo L. JULIUS CÆSAR, & C. MARCIUS FIGULUS consulatum tenuere.

TRAJANI tempore VINDOBONAM stetitisse, testantur fragmenta lapidis muro templi GUMPENDORFENSIS sparsim inserta, quæ profecto ante 400 annos, quo tempore Ecclesia illa constructa est, & nullum vigeat antiquitatis studium, aliunde allata non sunt. Integra & simul juncta, ut ego legi, hunc sensum efficerent:

IMP. CÆSAR DIVI NERVÆ FILIUS  
TRAJANUS AUG. GERM. DACICUS  
VICTO DECEBALO.

PONTIF. MAX. TRIBUN. POT. VIII.  
IMP. IIII. COS. V.

Quin ante TIBERII in has terras adventum, VINDOBONAM jam exstitisse colligitur ex lapide hic reperto, quem SCHALLAUZER in *exemplis S. Vet. Rom. Mon.* adfert, & in quo legitur:



I. O. M.  
 TI. CLAUD.  
 CENSOR.  
 P. PROCONS.  
 V. S. L. M.

Id est

Jovi OPTIMO MAXIMO  
 TIBERIUS CLAUDIUS  
 CENSOR

PROVINCIAE PROCONSUL

VOTUM SOLVIT LIBENS MERITO.

TIBERIUS CARNUNTI hyberna egit Anno Christi VII, ut conficitur ex VELLEJO PATERCULO L. 2.

Eodem teste PANNONIA se anno sequenti TIBERIO subjicit.

Inde, confecto post duos annos cum Dalmatis bello, Censor ab AUGUSTO dictus TIBERIUS, supra nominato lapide Jovi gratus fuit: quid ni autem VINDOBONÆ, ubi lapis repertus est?

Eandem urbi antiquitatem asserunt lateres hic inventi, cum legionum, & iis Præfectorum nomine, ex temporum serie, quos hic subjicio. Et quidem primum Legionis XIII. Geminæ.

LEG. XIII. G. DR. *Intellige:* Claudii Drusi.

LEG. XIII. G. IMP. NERON. TIBER.

LEG.



LEG. XIII. G. IVN. *intellige* : Junii Blefi sub Tiberio.

LEG. XIII. G. C. C. *lege* : Caji Cæsaris.

LEG. XIII. G. A. *intellige* : Attilii Histeris sub Claudio Imp.

LEG. XIII. G. GA. *lege* : Galbæ.

LEG. XIII. G. AQVIL. *intellige* : Vidii Aquilii.

LEG. XIII. G. MVC. *intellige* : Licinii Muciani.

LEG. XIII. G. FABI. *intellige* : T. Fabiani.

LEG. XIII. G. IVLI. *intellige* : Tertii Juliani.

Hæc Legio, vel ejusdem pars sub nominatis Præfētis VIENNÆ morabatur tempore AUGUSTI, TIBERII, CAJI, CLAUDII, NERONIS, GALBÆ, OTTONIS, VITELLII, & VESPASIANI Imperatorum, mansitque isthic, usque ad tempora TRAJANI, sub quo A. Salutis 100 in Daciam migravit contra DECEBALUM.

Vide de his lateribus LAZIUM *Rer. Vien. L. 1. c. 6.* & *in Comment. Reip. Rom. L. 5. c. 20.*

Ego legionis XIII. laterem hætenus unum indeptus sum cum sequenti inscriptione:

LEG. XIII. GE. C. C. nempe Caji Cæsaris.

Anno 180 M. AURELIUS VIENNÆ decedit, & Filius ejus COMMODUS ibidem Imperium auspicator; ut supra ostensum est.

Imperante M. AURELIO Legio X. Gemina VIENNÆ



NÆ stationem habuit; ut constat ex Itinerario ANTONINI: *Vindobonæ leg. X. Gem.*

Idem evincunt complures lateres hujus Legionis VIENNÆ, & in vicinia reperti. Mihi quinque obtigere, at sine Præfeci nomine, cum communi duntaxat epigraphe: LEG. X. G. P. F.

Legio hæc saltem per vices ad THEODOSII usque Junioris tempora VIENNÆ stativa obtinuit; sic enim habetur in notitia dignitatum Imperii, apud LABBEUM *Sect. 58. Præfectus Legionis decimæ Vindomanæ.*

Legionis XIII. lateres quinque, quos ad manus habeo, inscriptiones sequentes gerunt.

EG. XIII.

LEG. XIII. G.

LEG. XIII. GA.

LEG. XIII. GA.

LEG. XIII. G. MV.

Colligitur ex his, & hanc legionem VINDOBONÆ fuisse, quam solum CARNUNTI stationem habuisse notat FUHRMANNUS, cum tamen lateres hi ex ALSA DOMINORUM mihi obvenerint, quibus similes ab Eremitis S. Pauli, R. Patris FUHRMANNI Collegis, ibidem repertos scio.

Habeo præterea alium laterem elegantem, ibidem in horto Domini de FOURNAU effossum, in quo sequentes characteres cernuntur:

LEG.



LEG. XXXVV. id est, ut GRUTERO placet, Legio XXX. Valens Victrix. Legitur quippe in marmore ad vicum KORNESD in TRANSYLVANIA, Ulpiae proximum, pone sacellum: Leg. XXX. VAL. VICT. vide JANUM GRUTERUM pag. 399. N. 6. Sed quid? si STEPHANUS ZAMOSCIUS, ex quo GRUTERUS habet, pro VL. VICT. Legisset VAL. VICT.? Legionem enim tricesimam Ulpiam dictam ex eodem GRUTERO constat, & locus, ubi marmor exstat, congruit.

---

## C A P U T II.

*De dignitate Urbis VINDOBONÆ.*

---

**V**INDOBONAM Municipium Romanum fuisse lapides loquuntur; primus VIENNÆ Anno 1544. repertus, sic habet:

DEOR. PROSP.  
ERITATI G. MA  
— — C MARTIAN  
VS DEC. MVN.  
VINDO. VATES  
AEDIL. II. VIR. I —  
PRAEF. CO — — —  
FABI. V. S. L. L. M.

Ex



Ex sensu ABERMANNI sic legenda Inscriptio:  
*Deorum Prosperitati, Genio Martiani C. Murtianus  
 Decurio Municipii Vindobonensis, Vates, Ædilis, Duum-  
 vir, & Præfectus Cohortis Fabianæ, Votum solvit Li-  
 bens, Lubens, Merito.*

Inscriptionem hanc in Domo Doctōris WOLFFGAN-  
 GI LAZII muro olim insertam, refert LAZIUS ipse,  
 LAMBECIUS, & GRUTERUS, qui eam a CAROLO CLU-  
 SIO ibidem descriptam accepit.

Lapidem alterum in LANZENDORFF prope VIEN-  
 NAM repertum recenset FRANCISCUS CACCIA Ord.  
 S. Francisci, cænobii illius Moderator, & in libro de  
 Matre dolorosa pag. 8. sic exhibet:

FABIANA COHORS  
 VINDOBON.  
 MVN.

Lege: *Fabiana Cohors Vindobonensis Municipii*, non  
 vero; *Fabiana Cohors Vindobonam munivit*, ut vult P.  
 CACCIA.

Quamvis hunc in lapidem frustra ibidem inquise-  
 rim, nescio tamen, cur Viro, cæteroquin Celeberrimo,  
 hujus inscriptionis causa, quæ nihil ad ejus rem facit,  
 fides deroganda sit; ut ut eam sequius interpretetur.

Certe ante FRANC. CACCIAM WOLFFG. WILHELM.  
 PRAMERUS in sua VIENNÆ *descriptione* asserit anno  
 1545. tum VIENNÆ, tum ad S. PETRONILLÆ plu-  
 res



res lapides inventos cum dicta epigraphe: FABIANA CO-  
HORS VINDOBON. MUN.

Subinde GRATIANI, vel HONORII saltem, & THEO-  
DOSII Junioris tempore, lapso CARNUNTO VINDO-  
BONA Classiariæ Urbis honorem indepta est circa  
annum Christi 427. Ita testatur *Notitia dignitatum Im-  
perii* apud LABBEUM Sect. 58. *Præfectus Classis Histri-  
cæ Carnunto, sive Vindomanæ a Carnunto translata.*

### C A P U T III.

#### *De Nomine Urbis Viennensis.*

**U**rbem hanc non ab HENETIS, seu VENETIS, ut  
FUHRMANNO placet; sed a VINDIS, seu antiquis VE-  
NEDIS, hac transeuntibus, & aliquanto tempore sedem  
isthic figentibus, VINDOBONAM, vel VENDO-  
BONAM dictam esse recte docet CALLESIUS Ann. Bab.  
P. I. p. 39. complures siquidem VINDOS, ante ulti-  
mos Slavicæ Gentis per has terras sparsos fuisse liquet  
ex vocabulis priscae ætatis: VINDELICIA, VINDONISSA  
VINDOMAGI, VENDI, VENDUM, AVENDONE, VEN-  
NONES &c.

*Notit. Vindob.*

B

An-



Antiqui hi VINDI magis Germanis, quam Slavis adnumerandi sunt, eo, quod Rhætis, Tauriscis, Helvetis vicini, aut permixti vixerint. Imo scribit TACITUS L. de Mor. German. C. 46. de primis VENEDIS Sarmatiæ vicinis: *Hi tamen inter Germanos potius referuntur; quia & domos figunt, & pedum usu, ac pernicitate gaudent, quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro, equoque viventibus.*

Dicta est autem urbs nostra VINDOBONA, non a VINDONE anne, ignobili quippe, & incerti nominis rivo. Et, si a fluviis, vel rivis vicinis urbes omnes nomen hausere, torrentem hunc etiam Favium prius nuncupatum oportuit, quam urbs FAVIANÆ nomen tulerit: ut recte observat CALLESIVS.

Neque dicta est VINDOBONA a voce antiqua *bonn*, quæ Celtica, seu veteri Gallorum lingua limitem seu terminum significet, ut docet HADRIANUS VALESIUS: nam VINDOBONA non VINDOBONNA apud auctores vetustissimos legitur, & ante M. AURELIUM VIENNA terminus VINIDORUM non erat, ut constat ex locis supra adductis. VINDI autem illi, seu SLAVI, qui deinde in STYRIA, & CARINTHIA confederunt, tardius huc advenere, nempe circa annum Christi 548., vel omnino 620. CHROBATI vero, qui vicinam AUSTRIÆ plagam GINSIUM fere usque incolunt,  
lon-



longe tardius innotuere, nempe circa annum 1479, quo metu Turcarum acti, ex vicinia BOSNIÆ se ad has partes transfulere; unde olim *Die Bosner Chroboten* dictos constat, ex quo dein vulgus detorsit: *Wasser-Chroboten*. Ita ex erudito ruricola KOLLINOVICISIO me edocuit GEORGIUS PRAY S. J. Hungariæ scriptor non incelebris.

WACHTERUS in Glossario suo voci *bonn*, vel *bann*, non termini, vel limitis; sed districtus cujusdam notionem tribuit. Neque tamen a voce *bonn*, *bann*, *boind*, quæ districtum Germanis indicant; neque a voce *Wohne* habitationem, neque a voce *bahn* viam denotante VINDOBONA nuncupata est: voces quippe Germanicas Romani ad locorum denominationes non adhibuere: sed dicta est a VINIDIS incolis, & bona pro castris statione, sicut Arrabona, Rhætobona, Juliobona, Augustobona: Unde CLUVERIUS nude *Vindoniana*, nempe castra, pro VINDOBONA, ponit. VINIDI ipsi locum hunc WIDEN compellarint; simili quippe nomine hodieque a Slavis, Polonis, Bohemis VIENNA nuncupatur, & vestigium in vicino suburbio remanet: A Slavis dicitur *Wigen*, a Polonis *Wieden*, a Bohemis *Wyden*.

Ex dictis elucet, *Vindobonam*, non *Vindobonnam*, scribendum esse; uti etiam in Itinerario ANTONINI, Tabulis Peutingerianis, antiquis Authoribus VINDOBO-



NA cum simplici *n* legitur. Eadem de causa cum melioribus Authoribus VINDOBONAM præ VENDOBONAM scribendum censeo.

Urbs quidem nostra in Notitia dignitatum Imperii etiam *Vindomanæ*, & a JORNANDEZ *Vindominæ* nomine celebratur; sed nimirum corrupta jam, ut sequioribus sæculis assolet, nomenclatione. Quamvis enim VARRO doceat *bonum* ab antiquis *manum* dictum esse; non tamen adducar, ut credam, sæculo illo de antiquis Romanis vocibus cogitasse eos, qui aurei sæculi linguam jam amisere.

Perperam item *Ιελιόβονα* a PTOLEMÆO harum terrarum ignaro vocatur; præterquam enim quod alio loco *ουιλιόβονα* scribat, in majoris etiam momenti rebus, remotiorum maxime regionum errat PTOLEMÆUS, ut CLUVERIUS notat.

Minus veritati consentaneum est STRABONIS *Vendum* esse VIENNAM nostram: conficitur id ex supputatis distantiiis, quas refert Itinerarium ANTONINI. *Vendum* enim illud trecentis passuum millibus VINDOBONA dissitum, prope METULUM, in hodierna MARCHIA WINDORUM, invenies.

Sed neque *Flavium*, vel *Flaviana* unquam VIENNA audit, & solo PHILIBERTI HUEBERI apographo, apud BERNARDUM PEZIUM in Codice diplomatico eum in errorem CALLESIUS inductus est, ut scriberet ab HEN-



RICO JASOMIRGOTT Monasterium Scotorum fundatum esse in territorio FLAVIÆ. Autographæ primæ fundationis a me inspectæ non sunt; eadem tamen, teste LAZIO apud ABERMANNUM l. I. p. 22. FAVIÆ nomen habent; apographum earum, & quidem vetustissimum, cæteraque omnia, cæsarea etiam manu firmata, FAVIÆ item nomen præferunt. Secundæ Ducis ejusdem literæ, & quidem autographæ, quibus prima fundatio confirmatur, datæ A<sup>o</sup> 1161. diferte habent: In territorio FAVIÆ, id, quod egomet in iis legi, veniam perhumaniter faciente A. R. P. WOLFFGANGO OBERLEUTNER Monasterii hujus Priore, quo item teste in ejusdem Ducis literis datis Anno 1160. 1161. & 1170. nunquam FLAVIÆ, sed semper FAVIÆ nomen occurrit. Quis jam credat urbem nostram ab OTTONE FRISINGENSI, HENRICI Ducis fratre A<sup>o</sup> 1146. *Favianis* dictam, mox ab ipso Duce annis 1160. 1161. & 1170. FAVIAM compellatam, anno duntaxat 1158. quo primæ fundationis literæ datæ sunt, FLAVIÆ nomen habuisse?

Non itaque PLINII FLAVIUM Vienna, sed FLAVIUM SOLVENSE in NORICO est, nempe SALFELD prope CLAGENFURTUM, ut ex cæteris, quæ per seriem enumerat, locis palam fit: non enim alia, quam NORICI Mediterranei loca recenset. Consentit MARCUS HANSIUS T. I. Germ. S. c. XIV. pag. 72. confirmat HARDUINUS in editione PLINII T. I. pag. 179. Nota 44.



Magis a vero abhorrens FUHRMANNI opinio est, ab aris Flaviis hic excitatis sub DOMITIANO Imp. FLAVII, vel FLAVIÆ nomen VIENNÆ adhæsisse. Si enim VIENNA ut FUHRMANNUS ipse existimat, prius VENDO-  
BONA dicta est; sub Domitiano autem FLAVIUM; qui factum, ut MOX iterum sub M. AURELIO VINDO-  
BONA audiret? Et vero Aræ Flaviæ non cis, sed trans Danubium, & ad ejus exortum locatæ erant.

Nec ÆNEÆ SYLVIO hac in re defero, qui Urbi nostræ FLAVIANÆ, vel FLAVIANI nomen tribuit, etsi hoc *ex vetustis Ducum privilegiis, vel Chirographis Austria Principum compertum se habere* dicat; is enim, vel potius amanuensis ejus in obsoletis vel mendosis scriptis pro *Faviana, Flaviana* legerit: ego certe *Flavii, Flavie, Flaviani, Flaviana* nomen nusquam deprehendi, neque apud ÆNEAM ullum ex authenticis scriptis profertur, aut nominatur. AVENTINUS solus, in rebus nostratibus, maxime antiquioribus, apud me locum non obtinet.

VIENNÆ aliquando NORICI, vel NORACI nomen fuisse, assentirer; nisi nomen istud a Græcis Scriptoribus proderetur, parum gnaris horum locorum, & Norici vicinia insuper deceptis. Itaque parum hac in re tribuendum aut Græco scriptori apud SCHELLSTRATUM Tom. II. Antiq. Eccles. pag. 261. qui inquit: *Habet (Pannonia) civitates maximas, puta SIRMIMUM*



¶ NORICUM. Aut PROCOPIO de JUSTINIANO Imp. scribenti: *Longobardis cessit munitiones Pannoniæ, & civitatem Noricum.* Aut STEPHANO BYZANTINO dicenti: *Noricus urbs Pannoniæ.* Aut denique SUIDÆ de Epaphrodito referenti: *Noracum urbem Pannoniæ vidit.* Etenim *Noracum*, vel *Noricum* hoc *Noreja* civitas Norici est, Pannoniæ vicina, ferro & Chalybe nobilis, *Eisenäzt*, ut nonnulli autumant, dicta: sed malim ego cum CELLARIO & CLUVERIO NEOFORUM, NEUMARKT, hic intelligi, oppidum situm ad fines STYRIÆ & CARINTHIÆ, emporium olim nobile ferri & chalybis ex vicinis Muraviensibus, aliisque fodinis advectorum. Consentit SCHÖNLEBEN in *Appar. Carniolie Ant.* cap. 5. p. 157.

Reliqua nomina, quibus FUHRMANNUS *Viennam* donat, diversa pro diversitate Præfectorum, qui legionibus Romanis, vel cohortibus hic morantibus præfuerunt, vero similia non sunt: secus enim omnis locus, qui stationem Romanis militibus longiori tempore præbuit, mutatis legionibus, cohortibus, vel earundem Præfectis nomen mutasset: hoc vero quam inauditum!

Quæ ab aliis de antiquitate, vel nomine urbis nostræ memoriæ prodita sunt, confutatione non egent: HAGENUS enim in antiquis sectator fabularum, LAZIUS nimius antiquitatis amator est.




---



---

 C A P U T IV.

*VIENNAM eandem esse cum antiqua VINDOBONA ostenditur contra Kuchelböckerum.*

**L**iquet istud ex iisdem intervallis VIENNÆ, & VINDOBONÆ a vicinis, iisque cognitis locis, quæ assignat Itinerarium ANTONINI, & *tabulæ* PEUTINGERIANÆ. Adstipulatur CLUVERIUS in sua VINDELICIA, & NORICO pag. 22.

Præterea certum est locum eum, quem nunc VIENNA situ suo occupat, a ROMANIS olim habitatum fuisse. Docent hoc numi plurimi, lapides, & lateres cum Romanis inscriptionibus, & alia non pauca Romanæ antiquitatis monumenta hic & in vicinia inventa: alia in *Alsa Dominorum*, alia in *via*, quam vocant *Cursorum*, cum STOKAMERIANUS, vicini que horti cum novis palatiis æstivis consurgerent. Item in BERGHOFF, cum DOMUS WIDMANNIANA, & alia patrum CISTERCII NEOSTADIENSIS strueretur. Item in foro alto tempore ABERMANNI ANNO 1616. & nostra ætate sæpius, dum subterranei meatus ducuntur, aut domus antiquæ a fundamentis reparantur: mihi inde diversi numi Romani obtigere, lateres vero Romani vicinis plures ex *Alsa Dominorum*; ubi vero similiter Romanorum Militum  
for-



fornax lateritia stetit. Alia Romanæ antiquitatis monumenta VIENNÆ eruta hæredes celeberrimi Domini de FRANCE, alia alii ostentant.

De his vide plura apud LAZIUM *Rev. Vienn. L. I. c. 6. item L. 2. c. 2. & in Commentar. Reipubl. Rom. L. 5. c. 20. & L. 12. pag. 980.* Apud FUHRMANNUM P. I. VIENNÆ c. 10. item pag. 718. &c. & P. IV. AUSTR. pag. 583. & utrinque sparsim.

Consentiunt denique Sepulchra Romanorum, quæ, ut de remotiori ævo taceam, recentius effossa sunt, nec certe aliunde huc translata fuere.

Sepulchrum ejusmodi repertum est Anno 1662. 28. Januarii sub muro civitati adhærente, cum novus aulæ CÆSAREÆ tractus ædificaretur. Anno dein 1748. cum Patres, quos Conventuales vocant, Monasterium suum altius educerent, plures urnæ, lampadesque effossæ sunt.

Recentissime demum, anno nempe 1759. 2da. Novembris in foro vel platea, quæ *veteris macelli* vocatur, monumenta duo eruta sunt, ingens unum cum inscriptione :

D. M.

AVR. SECVNDINE

Minus alterum sine inscriptione. In utroque ossa, cineres, lampades, lacrymatorium, &c. Egomet & monumenta inspexi, & locum, in quo effossa sunt. Utrumque Clarif-

Not. Vindob.

C

fimus



simus LAMBACHERUS notis suis illustravit, qui etiam inde concludit prædicta spatia extra Urbis ambitum olim fuisse, cum lege XII. Tabularum sepulturæ intra urbium muros vetarentur.

Sed jam ad meritum causæ: si ex tot antiquitatibus Romanis manifestum est, Romanam aliquam Civitatem hic loci existisse: quæ obsecro, fuit, si non VINDOBONA?

Manfit hoc urbi nomen, vel subinde, non eruditius, ut ego autumo; sed corruptius *Vindomana*, usque ad Annum Christi 451. quo sub ATTILA Rege ab Hunnis per has terras in GALLIAM irrumpentibus forsitan vastata, non vero everfa est. ATTILA subinde in PANNONIAS reverso iterum a Romanis, adscitis in societatem RUGIS, restituitur circa annum salutis 454. quo ATTILA periit.

## C A P U T V.

*VIENNAM eandem esse cum FAVIANA demonstratur  
contra LAMBECIUM, & PAGIUM.*

**F**AVIANÆ, vel ut corrupto subinde vocabulo dicta est, FABIANÆ nomen primus EUGIPIUS in vita S. SEVERINI prodidit.

Hanc



Hanc nomenclationem pro VINDOBONÆ nomine urbs nostra verisimillime accepit a FLACCITHEO, & FELETHEO *Rugorum* Regibus, quorum secundus FEVA; vel (ut habet BOLLANDUS, & M. S. *Mansense*) FAVA; vel (ut EUGIPIUS scribit c. 23.) FAVIANUS dicebatur, communi forsan cum patre nomine: nisi EUGIPIUS VINDOBONAM per prolepsin ante FAVIANAM nuncupet; quam a FELETHEO filio hoc nomen fortiretur.

Mutati nominis ratio fuit potestas *Rugorum* Principibus his in locis communicata a Romanis contra invalescentes GOTHORUM in PANNONIA vires; sedes item Regia ab iis hic constituta, urbsque ab *Hunnorum* clade instaurata. Ita censet CALLESIUS *Annal. Austr.* P. I. pag. 583. idemque jam censuit Anno 1684. ERASMUS FRANCISCI in Urbis nostræ *descriptione.* pag. 6.

Sanctus porro SEVERINUS post ATTILÆ interitum, circa annum 454. ex oriente veniens, substitit primum in ASTURIS, quod ex locorum situ GREIFFENSTEINA esse videtur. Vid. CALLESIUM *Annal. Bab. P. I. p. 93.* In hujus loci arce, antiquissimi operis facellum, aramque SANCTO huic, ceu in suæ commorationis memoriam dicata, ipse inspexi.

Ex hoc, aliisque locis sæpius in oppidum *Favianis* SEVERINUS descendit: extra illius muros ad rivum *Al-*



*ſam* templum conſtruxit in honorem S. JOANNIS BAPTISTÆ: majori intervallo Monasterium cum Ecclesia ſanctorum GERVAſII & PROTASII condidit, quod poſtea ob Fundatoris, & Monachorum ſanctimoniam HEILIGENSTADII nomine ornatum eſt. Vide CALLESIUM *Annal. Auſtr. P. I. p. 96.* Haud procul inde privatam ſuam cellam conſtituit Vir ſanctus eo in loco, qui deinceps ab ejus nomine SIVERING dictus eſt. CUSPINIANUS in *Auſtria ſua.*

His in locis morabatur ſanctiſſimus Abbas ſub FLACCITHEO, & FELETHEO RUGORUM Regibus, & quamquam Dei, animarumque cauſa ſæpius inde digrederetur, identidem tamen eo revertebatur.

Anno C. 475. ODOACER Herulorum Rex, Italiam petens, SEVERINUM *Heiligenſtadii* convenit, ab eoque regni in Italia capeſſendi augurium accipit.

Circa annum 476. moritur FLACCITHEUS Rex RUGORUM, ſuccedit filius ejus FELETHEUS.

Anno 482. In Monasterio ſuo *Heiligenſtadienſi* pientiſſime obit SEVERINUS.

Sub idem tempus FAVIANÆ Episcopus fuit MAMERTINUS, qui ibidem ſub S. SEVERINO Romanorum militum tribunum egerat; aliam enim Episcopatus ſedem EUGIPPIUS ei non aſſignat. Adſtipulatur HANSIZIUS *Germ. Sacr. T. I. Coroll. IV.* Pagina tamen 85. & 87. rejicit ſucceſſores *Marcianum, Lucillum, Cunal dum, Sodo-*



*Sodomum, & Haymonem, quos LAZIUS, & ex eo CAROLUS à S. PAULO Mamertino tribuunt.*

Anno C. 487. ODOACER jam tum Rex Italiae FLETHEUM Regem cum GISA uxore, dilapso eorum filio Friderico, in Italiam abducit.

Anno C. 488. FRIDERICI RUGORUM Regis novos motus misera agri nostri vastatione per ARNULPHUM fratrem suum ultus est ODOACER, Romanosque una cum sancti SEVERINI illibato corpore per PIERIUM domesticorum Comitem in Italiam deportat. *Cunctis nobiscum* (scribit EUGIPPIUS c. 45.) *provincialibus idem iter agentibus.* Ex quo docemur, & Monachos omnes una HEILIGENSTADIO abscessisse, & oraculum illud SEVERINI impletum esse: *Hæc loca in tam vastissimam solitudinem redigentur, ut hostes æstimantes auri quidpiam reperturos, etiam mortuorum sepulchra effodient. Cujus vaticinii veritatem eventus rerum præsentium comprobavit.* Ita EUGIPPIUS c. 27. Et confirmat PAULUS WARNAFRIDUS Diacon. L. I. *Rer. Longob. c. 19.*

Non solum tamen ODOACRUM cum Herulis illatæ vastitatis causam fuisse indicat ENNODIUS, dum scribit in vita Beati ANTONII Monachi Lyrinensis apud SIRMONDUM T. I. *Sed jam peccatorum consummatio Pannoniis minabatur excidium, - - - Per incurfus enim variarum Gentium, quotidiana Gladiorum seges messem nobilitatis abscederat, & sæcundas humani generis terras*



*ira populante desolabat. Jam Franci, Heruli, Saxones (ex quibus Longobardi erant) multiplices crudelitatum species belluarum more peragebant, &c.*

Nota tamen, dictum FRIDERICUM, Rugorum Regem, ODOACRO exitio fuisse; contra hunc enim THEODORICUM Gothorum Regem concitavit.

Jam ad rem nostram: FAVIANAM eandem esse cum hodierna VIENNA conficitur ex ejusdem distantia PASSAVIO, quam ultra centum millia passuum, itinere nempe navali, quale S. SEVERINUS confecit, EUGIPIUS extendit. Congruunt præterea gesta & loca, quæ in vita S. SEVERINI referuntur.

Et ubi ergo illa EUGIPII FAVIANA? ubi illa FAVIANA, cujus Episcopum RATFREDUM EUGENIUS II. circa Anno 826. nominat? ubi illa FAVIANA villa cum tribus Sacellis, S. PETRI, S. RUPERTI, S. PANCRATII, quæ B. ALTMANNUS Pataviens. Episcopus Gottwicensibus contribuit? ubi FAVIANA illa, ad quam HENRICUS JASOMIRGOTT ex infausto cum Hungaris prælio An. 1146. confugit? An erravit OTTO FRISING. HENRICI hujus frater, dum scribens de Gestis FRIDERICI I. Imp. L. I. c. 32. ait: *Dux (Henricus) in vicinum oppidum Viennis, quod olim à Romanis habitatum, Favianis dicebatur, declinavit.*

At inquires: SEVERINUS *Noricorum Apostolus* appellatur? Recte id quidem; quandoquidem non in vicinia



cinia tantum Norici, sed in Norico ipso, Asturis, Comagenis, Laureaci, Cucullis, Bojoduri Apostolum egit.

Repones: sed PASCHASIUS Diaconus ad EUGIPIUM scribit: *Quod finitimas Pannoniorum provincias incoluerit Severinus*; & PAULUS Diaconus: *quod ejus cœnobium in Noricorum finibus fuerit*. Uterque ex rei veritate: an enim in Noricorum finibus non erat SEVERINI Cœnobium; si fuit HEILIGENSTADII? alterum autem ad fluviolum BOITRO prope PASSAVIUM cis OENUM? An finitimas Pannoniorum provincias non incoluit SEVERINUS; si per intervalla moratus in Asturis, Comagenis, Laureaci, &c.?

Animadvertendum denique, partita jam tum inter Gothos Pannonia, FAVIANAM Romanis & Rugis obnoxiam, quasi pro appendice Norici habitam fuisse.

Plura de his vide apud HANSIZIUM T. I. c. XIV. pag. 71. & apud FUHRMANNUM in sua AUSTRIA, & VIENNA: item apud CALLESIUM in *Annal. Babenbergensium AUSTRIÆ Principum*. Atque hos secundum annorum seriem consules, quoties deinceps specialis author a me non citabitur. In rebus tamen, quæ ad Urbem nostram maxime pertinent, quæque opinionibus hætenus receptis adversantur, testes fide digni nunquam desiderabuntur.




---



---

 C A P U T VI.

*VINDOBONAM, vel Favianam nunquam penitus interisse, vel ad unam Venatorum domum Pirkhoff, nunc Berghoff, redactam esse, saltem per longius tempus, ostenditur contra Haselbachium, Lazium, & alios, ex brevi Chronico rerum VIENNAM maxime attinentium, usque ad Carolum Magnum, qui primos Marchiæ Orientalis Comites instituit.*

---

**V**INDOBONAM, dein FAVIANAM usque ad A. C. 488. perstitisse ex allatis hætenus didicimus: post ruinam vero, quam Romani intulerunt, restitutam perdurasse etiam reliquo tempore, usque ad HENRICUM JASOMIRGOTT ex brevi rerum hujatum Chronologia manifestum fiet.

Romanis ODOACRI jussu Anno 488. in Italiam deportatis FAVIANAM, fedesque alias incolis suis viduatas LONGOBARDI occuparunt, tenueruntque ad annum usque 568.

Sub his urbem nostram ad pristinum florem rediisse, antiquo magis noto, corrupto jam tamen VINDOBONÆ nomine, testatur JORNANDEZ, qui vixit circa Annum Christi 550. Pannoniam enim dicit: *Patriam ornata-*  
*tam*



*tam civitatibus plurimis, quarum prima SIRMIS, extrema VINDOMINA. Vide HANSIZIUM T. I. c. II. pag. 50.*

Anno C. 568. Longobardi Italiam petentes has terras cedunt HUNN-AVARIBUS, belli fociis.

Anno C. 622. a VINDIS, tunc SLAVIS dici coeptis, HUNN-AVARES hic locorum in arctum coguntur; unde paulo mitiores facti sunt.

Anno C. 649. S. EMERAMUS ad convertendos Avares in Pannoniam descendere parat; sed THEODO I. Bavariae Dux, iter dissuadet; non ob ferociam Avaram, sed propter terras, per priora cum Avaribus bella vastatas, & infestas feris vias. CALLES. T. II. *Annal. Eccl. Germ. pag. 40.*

Anno 698. S. RUPERTUS sub THEODONE II. Bavariae Duce, conscensa Ratisbonae navi, in Pannoniam inferiorem animarum causa descendit. Sub Pannonia inferiori hic intelligenda ea PANNONIAE vel CARANTANIAE pars, quae DRAVO, ac SAVO vicina; hoc enim nomine significabatur eo tempore, quo Autores primi de S. RUPERTO scripsere. Unde MS. Rubeae Vallis ab HENSCHENIO, & PAPEBROCHIO adductum recte ait: RUPERTUM Ratisbona Laureacum usque navi vectum, dein terrestri itinere, transenso monte altissimo, Mons Durus (puta HARDBERG) appellato, Wandalis, seu potius Vinidis praedicasse. CALLESIUS T. II. *Annal. Eccl. Germ. p. 122.*

*Notit. Vindob.*

D

An-



Anno 737. LAUREACUM ab Avaribus evertitur.

Anno C. 783. S. VIRGILIUS Salisburgensis Episcopus animarum Deo adducendarum causa in Pannoniam descendisse dicitur: sed rectius tum de eo, tum de ejus discipulis id negat HANSIZIUS T. II. pag. 92. &c. CALLESIIUS T. II. Annal. Eccl. Germ. p. 452. subdubitat.

Quantumvis autem, nec S. RUPERTUS, nec S. VIRGILIUS Urbem nostram accesserint, sub S. VIRGILII tamen tempora VIENNÆ Ecclesia in memoriam S. RUPERTI constructa est. Testatur id communis sensus de templi hujus vetustate, & confirmat Poëta Rhythmicus, qui scripsit sæculo XIV. citatus apud LAZIUM Rer. Vienn. L. 2. c. 2. Nec aliud tempus assignari commode potest: hoc autem tempore non tam ferè amplius Avars erant; ut non aliquid Christianæ Religionis inter suos admitterent; utpote CAROLUM Magnum metuentes, THASSILONI autem Bavarix Duci faventes. Certe de duabus Ecclesiis urbis nostræ, jam prius ædificatis post 20. annos mentionem reperies.





## C A P U T VII.

*Res VIENNAM attinentes sub CAROLO M. usque ad OTTONEM III. sub quo Marchiones limitis Orientalis ex familia Babenbergica constituti sunt.*

**A**nno C. 791. CAROLUS M. Hunn-Avares vincit, & ex his plagis ultra ARRABONEM rejicit, destructis eorum ad KAMPUM Fluvium & COMAGENUM montem munimentis.

Anno 792. CAROLUS M. FAVIÆ templum S. PETRI memoriæ condit. LAZIUS *Rer. Vienn. L. 2. c. 2*, cui ad stipulatur CALLESIUS *Annal. Austr. P. II. p. 16. & p. 167*.

Anno C. 799. Kal. Sept. occisus est C. GEROLDUS, *Signifer, & Consiliarius* CAROLI Magni, HILDEGARDIS Reginæ frater, idemque Bavarix Præfectus; dum in Pannonia contra Avares suos ad pugnam animaret: Augiæ Sepultus.

Anno 803. CAROLUS M. Ecclesiæ Pataviensi sub WALDERICO Episcopo donat duas FAVIANÆ Ecclesias: quas autem? si non S. RUPERTI, & S. PETRI? Testatur hanc donationem CAROLI M. filius, LUDOVICUS PIUS, Diplomate dato IV. Cal. Julii Anno 823.



Francofurti, hisce verbis: *in Saxina basilicas duas, & totidem in Faviana.* LAZIUS *L. 7. de migr. Gent.* HAN-SIZ. *T. I. p. 155.*

De SAXINA autem nota: loca complura in his partibus a Saxonibus, qui ex Longobardis erant, olim irrumpentibus nomen traxisse, ut SAXENDORF, SAXNGANG, SAXNEGG: SAXINA autem memorata, ex mente eruditissimi JOAN. GEORG. SCHWANDNERI (quicum multa contuli, & a quo complura didicisse me profiteor) oppidum est situm haud procul Danubio in AUSTRIÆ SUPERIORIS quadrante, cui MACHLAND nomen est, inter civitatem GREIN, & Monasterium MONTIS POMARRII; quod oppidum, obscuri licet hoc ævo nominis, etiam nunc exstat, & mappæ SUPERIORIS AUSTRIÆ MATHIÆ VISCHERI sub nomine SAXN, insertum legitur; nec inde procul SAXNTHALL reperire est.

Anno C. 803. dicuntur Ratisbonæ constituti per CAROLUM M. Comites Orientalis limitis, a Baviariæ Præfectis distincti. Recenset hos Author Anonymus de conversione Bojoariorum & Carantanorum, primumque nominat GOTERAMUM, secundum WERINHARIUM, tertium ALBERICUM, quartum GOTEFRI-  
DUM, quintum GEROLDUM, sextum RATBODUM.

Anno 804. UROLPHUS Laureacensis Archiepiscopus instaurat Episcopatus Laureacensi Ecclesiæ antehac subjectos, atque hos inter FAVIANENSEM, cui præ-  
esse



esse iussus est RATFREDUS. Colliguntur hæc ex literis EUGENII II. datis Anno 826. *Rathfredo sanctæ Favianensis Ecclesiæ*, & - - - *Episcopis &c.* HUNDIUS *Metrop. Salisburg.* T. I. p. 230.

Anno C. 805. Pannonici limitis Præfectus legitur WERNHARIUS.

Anno 814. Mortuo CAROLO M. succedit filius LUDOVICUS PIUS.

Anno 815. Orientalis limitis Comes reperitur ALBERICUS; vel ut alii: THEODORICUS.

Anno 823. GODEFRIDUS Marchio Orientis memoratur.

Anno 826. LUDOVICUS Pii filius Germaniæ regnum adit, sub quo Marchio GEROLDUS. De hoc jam prius mentio fit ad Annum 811. 812. & 815., non tamen ut Marchiæ Comitis, nisi forte ad tempus. Hoc item tempore RATFREDUM Episcopum FAVIANÆ adhucdum fuisse supra indicatum est: certe non in rurali villa.

Anno 830. GEROLDO in Bavariam revocato, sufficitur RATBODUS.

Anno 840. moritur LUDOVICUS PIUS, cui in Imperio succedit LOTHARIUS.

Anno 851. absque fundamento scribit SAMUEL TIMON S. J. in Chronolog. Hungar. FAVIANAM hoc anno a Slavis & Avaribus sociata opera captam. Ita censet GEORGIUS PRAY in Annal. Vet. Hunn. Avar. & Hung.



Anno C. 860. RATBODUS Orientalis limitis Custos exauthoratur: succedunt WILHELMUS, & ENGELSCHALCUS fratres.

Quibus Anno 871. a ZWENTIBALDO Moraviæ Duce perfide oppressis, in defendendo limite sufficitur ARBO.

Anno 876. moritur LUDOVICUS Germaniæ Rex, cui in Bavaria, Austria, Pannonia succedit CAROLOMANNUS filius.

Huic vero Anno 880. defuncto succedit LUDOVICUS frater.

Anno 882. primitus conditam esse Ecclesiam B. Virginis ad litus scribit Author libelli cui titulus: OESTERREICH ÜBER ALLES IN VEREHRUNG DES HOCHWÜRDIGSTEN SACRAMENTS, Viennæ Anno 1720. editus. Unde hanc notitiam hauserit, ignoro: forsan ex documento, quod nunc latet: commentitiam rem nemo dixerit. Certe nec CALLESIIUS diffitetur: P. I. Annal. Austr. pag. 540. in notis, hanc Ecclesiam ante HENRICUM JASOMIRGOTT existisse.

Hoc eodem anno mortuus est LUDOVICUS II. Germaniæ Rex, successorem nactus fratrem CAROLUM CRASSUM, jam tum Imperatorem, inde ab anno 881. sed hic

Anno 887. exauthoratus, anno sequenti Imperium & Germaniam ARNULPHO Regi, CAROLOMANNI filio, relinquere cogitur.

Anno



Anno 892. ARNULPHUS Rex ARBONI socium limitis Orientalis adjungit ENGELSCHALCUM juniorem.

Hac offa ex Moravia retractum A<sup>o</sup> 893. oculis privat, ob filiae suae raptum.

Anno 895. ARBONI Orientalis limitis Marchioni, socium addit ARNULPHUS Nepotem suum LEOPOLDUM, quem FUHRMANNUS Comitem de Landenberg compellat; alii Patrem familiae Schürensis.

Anno 898. ARBO exauthoratur.

Anno 899. Exstinctus est ARNULPHUS Rex, sub quo Hungari Pannoniam ingressi sunt. ARNULPHO succedit filius LUDOVICUS, *Infans* dictus.

A. 900. Hungari spreta Regis pueri aetate, primum illam Pannoniae partem usque ad CETIUM montem, quae adhucdum Germaniae Regibus parebat, depopulantur; neque tamen FAVIANAM delent: secus enim, gentilium more, Sancti RUPERTI, S. PETRI, B.V. AD LITUS Ecclesias & memoriam simul delevissent. Subinde in Italiam transgressi, Longobardiae stragem inferunt: recedentes in Austriam superiorem irrumpunt, & omnia ferro, flammaque excindunt. Cum vero alteram quoque Austriae partem trans Danubium agmen Hungarorum diriperet, illud a LEOPOLDO Marchione, & RICHARIO Passaviensi Antistite mille ducentis multatum est. Sic Hungari in Pannoniam sunt regressi: eorum tamen quotidianis incursionibus reprimendis LEOPOLDUS, & RICH-



RIUS urbem in sinistro ANASI latere novam statuunt; ANASIBURGI nomen loco datum.

A<sup>o</sup> 901. ISENRICUS cum patre suo ARBONE, olim Marchiæ comite in gratiam a Cæsare receptus videtur, & in partem tuendi limitis adscitus.

A<sup>o</sup> 904. mortuus creditur ARBO, limitis nunc ex parte Comes.

Anno 907. Cum Hungari in Austriam superiorem usque incurfiones continuarent, LUDOVICUS Rex omnibus viribus iisdem obviandum statuit: sed XV. Kal. Julii regius exercitus ad Anasum cæditur, quo in prælio occubuit LEOPOLDUS Bavarix Dux, & Orientalis limitis Comes, successorem in Bavaria nactus ARNOLPHUM filium. Ex ea victoria omnis illa, quæ ad Anasum usque pertinebat, regio in potestatem Hungarorum venit; unde abrogatum iterum videtur Comitum Orientalium munus a Bavarix Ducibus separatum.

Anno 911. humanis excessit LUDOVICUS Infans, cui in Imperio subrogatur CONRADUS Franco.

Anno 912. ARNOLPHUS Bavarix Dux, ad Aenum ita Hungaros cædit, ut eorum vix triginta superstites, infelicis prælii nuntii ad suos evaserint. CALLESIVS Annal. Auftriæ. T. I. p. 237.

Anno 917. ARNOLPHUS Bavarix Dux, CONRADO Cæsari rebellis, ad Hungaros confugit, teste GEORGIO PRAY in Annal. vet. Hunn. Avar. & Hung.

An-



Anno 919. CONRADUS Cæsar e vivis excedit: successor illius HENRICUS AUCEPS ARNOLPHUM Bavarix restituit.

Anno 933. HENRICUS Imp. internecina clade ad Merseburg Hungaros afficit: inde magis auspiciati AUSTRIÆ soles.

Anno 936. pro defuncto patre suo, HENRICO AUCEPE, regnum capessit OTTO I.

Anno 937. ARNOLPHI Ducis morte vacuum Bavarix principatum, velut ex jure, ejus primogenitus EBERHARDUS occupat, invito tamen Cæsare.

Unde Anno 938. ab OTTONE in exilium ejicitur, Bavarix principatu in patrum ejus BERTOLFUM, fiduciario tantum jure, translato.

Anno 943. BERTOLFUS (aliis BERTHOLDUS) Hungaros ad Trunam fluvium cædit.

Anno 945. defuncto BERTOLFO OTTO Rex successorem constituit HENRICUM, fratrem suum, RIXOSUM dictum, ARNOLPHI supra nominati ex JUDITHA generum.

Anno 950. HENRICUS Bavarix Dux ANASIBURGUM, unicum adversus Hungaros frenum, ab ADALBERTO Passaviensi Episcopo permutatione obtentum præsidio firmat.

A<sup>o</sup>. C. 955. festo S. LAURENTII die ad Augustam Vindelicorum ab OTTONE I. Imperat. profligantur Hunga-

*Notit. Vindob.*

E

ri,



ri, quibus ab Anaso, MELLICIUM usque, post eam cladem per HENRICUM fratrem suum retrusis, OTTO Imp. tractui illi RUDIGERUM Pechlariensem addito Marchionis titulo præficit. V. CALLESIUM Annal. Aust. P. I. p. 256.

Anno eodem Cal. Nov. vita excedit Dux Bavarix HENRICUS RIXOSUS, cui ex OTTONIS Imp. voluntate succedit filius HENRICUS, HEZELO dictus, S. HENRICI Imp. genitor. Limitis autem custodia apud RUDIGERUM Pechlariensem mansit.

RUDIGERO morte sublato (de anno non liquet) successor datus BURCHARDUS Marchix Comes, & Ratisbonensis Episcopi Præfectus: sub hoc primum occurrit OSTERICHIX nomen. V. plura apud CALLESIUM Annal. Austr. P. I. p. 234. 255. 266.

Anno 973. OTTONI Magno Imperatori e vivis sublato sufficitur filius OTTO II.

Anno 982. In fatali illa pugna, qua OTTO II. a Saracenis in Italia victus est, cæsus videtur BURCHARDUS Marchix nostræ Comes. Vide DITMARUM L. 3. & Annalistam Saxonem ad A. 982.

Anno 983. OTTO II. vita functus Imperium OTTONI III. filio relinquit: sub hujus anni finem, vel sequentis initium LEOPOLDUS I. Babenbergicæ stirpis, Marchio limitis Orientalis, seu AUSTRIÆ constituitur. Vid. CALLESIUS P. I. Ann. Babenb. L. V. p. 267. & sequentibus.



---

---

C A P U T VIII.

*Chronicon Babenbergensium AUSTRIÆ Marchionum usque ad primum Austriae Ducem HENRICUM JOCHSOMIRGOTT, vulgo JASOMIRGOTT.*

---

**A**nno C. 984. LEOPOLDUS Babenbergicus, postquam ANASIBURGUM in Austriam venisset, mox in Hungaros movet, eosque e Mellicensi castro ejectos ad CETIUM usque montem retrudit: imperante tunc Hungaris GEYSA, S. STEPHANI patre. LEOPOLDUS Mellicii sedem constituit, & Illustris nomen obtinet.

A<sup>o</sup> C. 985. Mellicensi in arce Canonicorum Sæcularium Collegium instituit.

Anno eodem OTTONIS III. mandato conventus TULLNÆ habitus, in quo deliberatum de munienda AUSTRIA, & multiplicandis in ea incolis. Inde excitatæ adversum Hungaros arces, deductæque in AUSTRIAM coloniæ. Sub quod tempus in eam complures ex Franconia & Bavaria Nobiles immigrarunt.

A<sup>o</sup> C. 994. VIII. Id. Julii sagitta, HEINRICO Schweinfurtenfi, cognato suo destinata, LEOPOLDUS Illustris Würceburgi cæsus, post biduum occumbit, ac ibidem tumulo infertur: MELLICIUM subinde translatus. Pa-



tri succedit HENRICUS I. ob nominis cum Sweinfurtenfi communionem, perperam Rebellis dictus: sub hoc iterum OSTERRICHI nomen occurrit.

A<sup>o</sup>. C. 1002. fatis cessit OTTO III. Rex, successorem nactus HENRICUM II. Sancti titulo clarum.

Anno 1018. HENRICUS I. Marchio, sine prole vita fungitur IX. Cal. Julii. Pro eo frater ADALBERTUS I. Victoriosus dictus Marchiam gubernat.

Annus C. 1024. HENRICO II. Imperatori supremus, CONRADO Salico primus fuit.

Huic A. 1039. e terris sublato HENRICUS III. filius in Imperio succedit.

Anno 1042. Mense Februario, ADALBERTUS Marchio ultra MORAVAM & LEVTHAM rejicit Hungaros sub OVONE, ut eum Germani: seu ABBA, ut eum Hungari: rectius sub SAMUELE, ut eum, qui BELÆ Regi a Secretis fuit, compellat, & ejusdem numi docent. OTTO FRISING. l. 6. c. 32. CALLES. ad hunc annum.

Ejusdem anni æstate HENRICUS III. Germaniæ Rex, sub ADALBERTO Marchione, VIENNÆ curiam convocat suppetiarum PETRO Hungariæ Regi ferendarum causa, quem SAMUEL Regno exuerat. Ita testatur chronicon Rhythmicum MS. Universitatis nostræ, usque ad annum 1046. perductum. Sic autem in eo, perantiquo e membrana codice legitur:



PETER CHLAGTE TÄGLICHE  
DEM KUNIC HEINRICHE  
SINEN GROSSEN UNGEMACH.  
ZE WIENNE DER KUNIC EIN HOFFGESPRACH.  
DIE HERVORT SIE DA SWUREN,  
ZE UNGERN SIE DA FUREN &C.

Hæc quam male admittuntur, immo asseruntur a LAZIO·VIENNÆ nimirum, at in solo BERGHOFF, idoneo nempe iis belli apparatus loco, substituisse aliquamdiu HENRICOS III. IV. V., dum Hungariam bello petunt. Quam vastam esse oportuit illam villam, quæ & curiæ Cæsarum, & castris Prætoriis, ne dicam, exercitui capiendo par fuit? Quis non intelligat VIENNAM, tum urbem, vel certe oppidum, nec vulgare fuisse.

Eodem anno cum ADALBERTO Marchione, ejusque filio LEOPOLDO HEIMBURGUM in finibus Auftriæ, & Hungariæ expugnat HENRICUS Rex.

Anno C. 1043. Hungari AUSTRIAM repetunt: sed territi bellico HENRICI Regis apparatu, regionem illam omnem a LEUTHA fluvio ad CETIUM montem cedunt.

Hoc anno V. Id. Decembr. LEOPOLDUS II. ADALBERTI Marchionis primogenitus, virtutum & belli gloria jam celebris, eoque fortis Miles dictus, ac Marchionis titulo cum successionis jure (ut testatur HERMANNUS Contractus) ab HENRICO Rege ornatus, Ingelhemii ex-



stinguitur, & a Patruo POPPONE Treviris tumulo conditur.

Anno 1045. HENRICUS REX SIGEFRIDO Marchioni 150. Regales mansos FISCHAM inter & LEUTHAM amnes transcribit: nec non areas ad DANUBIUM fitas. Sic habent documenta Gottwicensia, & LUDEWIG. in Rel. MS. T. IV. L. 6. p. 249.

Ex quibus minime consequitur, quod LAZIUS ait *de Migratione gentium* p. 405, hoc tempore FAVIANAM, cum adhuc in angustiis esset, sub dominium Comitum de PLEYEN venisse.

Anno C. 1047. POPPO Archi-Episcopus Trevirensis, ADALBERTI Marchionis AUSRIÆ frater, decedit.

Anno 1056. VII. Cal. Junii ADALBERTUS AUSTRILÆ Marchio e vivis migravit: successorem reliquit filium superstitem ERNESTUM Strenuum, & quidem primum hæreditario jure, quod teste HASELBACHIO parenti ADALBERTO Cæsar concefferat.

Eodem anno vivere desuit HENRICUS III., Imperio in filium HENRICUM IV, translato.

Anno C. 1058. ERNESTUS Marchio confirmationem impetrat ab HENRICO IV. immunitatis tributorum Imperio pendendorum, quam JULIUS CÆSAR, & CLAUDIUS TIBERIUS NERO terræ huic concessisse ferebantur. Horum literæ, utut commentitiæ sint, quia tamen tum pro veris habitæ, & confirmatæ, vim accepere immunitatis potiundæ.

EO-



Eodem diplomate Rex titulum S. R. I. Prioris ERNESTO tribuit, jus item gladium & vexillum coram Imperio, totoque orbe palam ferendi. Vocat eum Romani Imperii Militem fidelissimum, fidelissimum Principem ac Illustrem, denique constituit Advocatum Ecclesiarum Salisburgensis, & Pataviensis. Decretum conditum in TURRENBACH, seu DÜRRENBACH 4. NOV. 1058. Communicavit hæc mecum doctissimus Vir Xaverius de MANAGETTA ex collectaneis celeberrimi olim Archiatri Wilhelmi Managettæ.

Anno C. 1068. ut habet UGHELLUS T. V. col. 56. in Additionibus: SIGEFRIDUS seu SIGHARDUS e Comitibus de PLEJEN, ortus (ex Imperatoris Cancellario hoc anno Patriarcha Aquilejensis) vendidit (rectius per concambium tradidit, ut habent documenta Gottwicensia) ALTMANNO Episcopo Passaviensi Parochiam S. PETRONELLÆ non procul VIENNA in AUSTRIA, & aliam Capellam in ipsa Urbe VIENNENSI (Nota Urbem) Divo PETRO sacram, cum quibusdam agris. Eadem apud BERNARDUM de Rubeis in Monumentis Aquil. c. 56. leguntur.

Ab hoc Beato ALTMANNO Ecclesiam S. PANCRATII conditam existimat FUHRMANNUS, quod non infior: sed quem in finem nova Ecclesia? ubi jam tria templa, nempe S. RUPERTI, S. PETRI, ac B. VIRGINIS ad Litus erant, si FAVIANA eo tempore villa duntaxat



ruralis fuit, aliquot mapalibus cineta, ut vult nominatus Author?

Anno 1072. ALTMANNUS inchoat templum in fronte Gottwicensi pro Canonicis Regularibus.

Anno C. 1075. ERNESTUS Marchio e vulnere accepto in prælio ad Unstrutt, postridie, nempe V. Id. Junii, extinguitur: succedit filius, quem habebat unicum, LEOPOLDUS III. cognomine Pulcher. CALLES. ad hunc annum.

Anno 1082. B. ALTMANNUS consecrat Ecclesiam Gottwicensem.

Sequenti anno dat Gottwicensibus Literas foundationis, quibus inter alia donasse dicitur FABIANAM Villam cum tribus in ea conditis Sacellis D. PETRO, D. RUPERTO, D. PANCRATIO sacris, ut habet LAZIUS in Tract. de Civitatibus Bavarix, qui MS. servatur in bibliotheca Cæsarea: sed nec in autographis Foundationis, nec in aliis ejusdem Monasterii literis apicem de hac donatione reperire est.

Anno C. 1093. ALTMANNO de coelo hortante Monasterium Gottwicense S. BENEDICTI regulam professis traditur.

Anno 1096. vivere desit LEOPOLDUS Pulcher. Marchix gubernium pro eo capeffit filius, LEOPOLDUS IV. cognomento *Pius*.

Anno



AN. 1097. GODOFREDUS Bullionius per AUSTRIAM, quidni & per VIENNAM, in Palæstinam proficiscitur.

Anno 1099. Hierosolymam occupat Bullionius.

Anno 1101. LEOPOLDUS Pius arcem molitur in monte CETIO, seu KALENBERG, ut refert RICHARDUS Newburgenfis ad hunc annum.

Anno C. 1106. HENRICUS IV. animam reddidit, postquam priore jam anno in filium HENRICUM V. invitus Imperii sceptrum transtulit.

Hoc eodem anno HENRICUS V. AGNETEM sororem suam, viduam FRIDERICI de HOCHENSTAUFF Sueviæ Ducis, LEOPOLDO Marchioni matrimonio locat, qui mox Curiam suam in KALENBERG constituit. Circa idem tempus prope VIENNAM Venatorum domum eo in loco ædificat, quem nunc in platea, WALLERSTRASS dicta, Principum ESTERHAZY palatium occupat. Habetur hoc tum ex antiquissima traditione, tum ex inscriptione, quam præfert palatium, tum ex facello eidem sancto Marchioni ibidem dicato. Inscriptio supra portam palatii sic habebat:

SOLI DEO GLORIA  
DOMUS HÆC A S. LEOPOLDO MARCHIONE AUSTRIÆ  
OLIM HABITATA.

SUCCESSU TEMPORIS AD NOBILEM FAMILIAM  
ESTORAS DEVOLUTA.

PER CEL. SAC. ROM. IMP. PRINCIPEM

*Notit. Vindob.*

F

PAU-



PAULUM ESTORAS R. HUNG. PALI  
 COMPARATA  
 IN HANC FORMAM E FUNDAMENTIS  
 PRO FAMILIÆ DECORE ÆDIFICATA EST  
 ANNO DOMINI M. DC. XCV.

Anno C. 1119. LEOPOLDUS CETIUM Castrum, aliaque loca (& hæc inter fortassis etiam VIENNAM) contra Hungaros communit. Vide CALLESIIUM Annal. Austr. P. I. p. 459.

Anno C. 1125. HENRICUS V. Imperator absque prole decedit. Imperium deprecantibus OTTONE Saxeone, & LEOPOLDO Marchione nostro, succedit LOTHARIUS.

Anno C. 1136. XVII. Cal. Decembris LEOPOLDUS Pius ad superos abit, designato prius successore filio secundogenito LEOPOLDO V, ob infirmam ALBERTI primogeniti valetudinem.

Anno 1137. ALBERTUS hic V. Id. Novembris extinguitur. Necrol. Claustro-Neob. & Epitaphium ad S. Crucem.

Hoc itidem anno vitam posuit LOTHARIUS, cui in Imperio anno sequenti subrogatus est CONRADUS III. Suevus, Marchionis LEOPOLDI frater uterinus.

Anno 1138. ut FUHRMANNO placet, vel 1131. ut videtur aliis, LEOPOLDUS MARCHIO, Largus jam compellatus, Sacellum S. JACOBI in loco, HÜLBEN dicto,



cto, extra Viennenses muros construit. Hoc nunc intra mænium ambitum continetur, & postea contiguum accepit Asceterium, quod hodiedum vocatur: DAS KLOSTER DER REGULIRTEN CHORFRAUEN BEY S. JACOB AUF DER HÜLBEN.

Anno C. 1139. LEOPOLDUS Marchio a CONRADO Imperatore, fratre suo uterino, Bavarix Dux renuntiatur in locum HENRICI superbi Goslarix priori anno exauthorati, & hoc anno XIII. Cal. Nov. extincti.

Anno C. 1141. LEOPOLDUS Largus, æger AUSTRIAM ex Bavaria repetens, morte occupatur in NIDER ALTAHE, XV. Cal. Nov., successorem in Marchia nactus fratrem HENRICUM JASOMIRGOTT, de quo mox plura.

---

---

## C A P U T IX.

*Acta HENRICI JASOMIRGOTT, primi AUSTRIÆ Ducis, cum corollariis urbem nostram attinentibus.*

---

**A**nno C. 1141. Octobri mense Marchiæ gubernium HENRICUS suscipit.

Anno sequenti CONRADUS Rex Francofurti Comitia celebrans, GERTRUDEM, LOTHARII Cæsaris filiam,



HENRICI Superbi Bavariæ olim, & Saxonix Ducis Viduam, Bavaria in dotem concessa, HENRICO Austrio Francofurti despondet. Nuptiæ Regio apparatu quatuordecim diebus celebratæ, quas ipse Rex per se se administravit. Ita Chronica Regia S. PANTALEONIS apud ECCARTUM Script. T. I. col. 931.

Anno 1143. XIV. Cal. Maii, GERTRUDIS, dum Bavariam petit, ex difficili partu una cum prole præmature fato extinguitur, & Lutheræ Patris, ac prioris Mariti tumulo infertur.

Anno 1144. HENRICUS Marchio, idemque Bavariæ Dux, VIENNÆ primum lapidem ponit pro nova Parœcia, in honorem S. STEPHANI Levitæ ac Martyris: non autem in honorem omnium Sanctorum, ut manifeste ostendit ex literis Plebani Viennensis, datis 1267. aliisque monumentis, ac Chronicis antiquis ANTONIUS STEYERERUS in Comment. ad Historiam ALBERTI II. in Additionibus, columna 282. Eodem probabiliter anno aulam sibi VIENNÆ HENRICUS molitur.

Anno 1145. Nobiles AUSTRIÆ, inscio & absente suo in Bavaria Duce, arma sociantes BORICIO, qui se COLOMANNI Regis filium ferebat, Posoniense castrum expugnant, quod quidem acceptis tribus librarum millibus GEYSÆ II. Hungariæ Regi reddunt: sed hic HENRICUM Ducem injuriæ authorem ratus, bellum contra eundem parat.

Anno



Anno 1146. III. Idus Septembris HENRICUS ex infelici cum Hungaris prælio, Leutham inter & Fischam conferto, *in vicinum oppidum Viennis, quod olim a Romanis habitatum, Favianis dicebatur, declinavit.* Ita OTTO FRISING de gestis Friderici I. Imperat. L. I. c. 32.

Anno 1147. Exeunte Aprili sub EBERHARDO Plebano templum S. STEPHANI VIENNÆ consecratur a REGIMBERTO Passaviensi Episcopo. Chron. Austr. & Chron. Zwetlense apud Abbatem LINCK.

Hoc item anno HENRICUS JASOMIRGOTT cum CONRADO Cæsare iter in Terram Sanctam facit.

Anno 1149. in Thessalia, a MANUELE Orientis Imperatore, THEODORA, Augusti Comnenorum sanguinis Princeps, matrimonio jungitur HENRICO Duci, quacum in AUSTRIAM redit.

Anno 1152. Inter mortales esse desit CONRADUS III. Cæsar, cui successus FRIDERICUS I. Oenobarbus, HENRICI Austrii Nepos ex FRIDERICO Sueviæ Duce, suo fratre uterino.

Anno 1154. Imperator FRIDERICUS HENRICI Austrii & HENRICI Leonis de Baviariæ Ducatu controversiam dirempturus, Goslariam conventum indicit, in quo HENRICUM Austrium non comparentem Baviariæ Ducatu excidisse pronuntiat.

Anno eodem CHUNRADUS Episcopus Passaviensis HENRICI Ducis frater, VIENNÆ consecrat Eccle-



siam B. VIRGINIS in Litore ( AUF DEM GESTATT, nunc vulgo MARIA STIEGEN ) recens instauratam & ampliatam, ut ipsa structura indicat. V. FUHRMAN. P. I. Vienn. p. 425.

Anno C. 1155. HENRICUS JASOMIRGOTT Religiosis Divi Benedicti Scotis VIENNÆ extra muros Monasterium condit. Chron. Austr. & Clauſtro-Neob.

Eodem anno ab Imperatore FRIDERICO invitus Bavariae Principatu exuitur, Idib. Octobr. Ratisbonæ, & HENRICUS Leo pro eo inauguratur. Sed

Anno 1156. hæc illi jactura ab Imperatore compensatur Marchia Bavariae, seu ejus parte infra Oenum sita; & dignitate DUCIS AUSTRIÆ, addito titulo unius e Palatinis ARCHIDUCIBUS, summisque aliis privilegiis, quæ GUNDLINGUS ipse, & Imperialis aulicus Confiliarius, Baro SENKENBERG ex inspecto autographo pro veris, & authenticis habet. Vide hujus Librum, cui titulus: GEDANKEN VON DEM JEDERZEIT LEBHAFTEN GEBRAUCH DEREN URALTEN TEUTSCHEN BÜRGERLICHEN, UND STAATS-SCHRIFTEN.

Anno C. 1158. HENRICUS jam Austriae Dux, Scotensibus literas foundationis tradit, quæ inter alia sic habent. *In prædio nostro fundavimus, in territorio scilicet FAVIÆ, quæ a modernis WIENNA nuncupatur.*

Hinc colligitur imo: FAVIANÆ nomen, ommissa syllaba prima, & permutatis vocalibus literis A in



**E** ( ut apud vulgus assolet ) ante hoc tempus in **VIENNÆ** appellationem degenerasse : id , quod forsitan jam ante annum 1042. cœpit , quo nempe Chronicon Rhythmicum Universitatis nostræ , ad annum duntaxat 1046. perductum , **WIENE** nomen jam usurpat.

Colligitur 2do : Parochi Viennensis munus hoc anno sustinuisse **HERBERGERUM** , quem **GREGORIUM** ex **HANSIZIO FUHRMANNUS** nominat. Nam , ut videre est in literis foundationis , ejus venia cura animarum Scotis **S. Benedicti Religiosis** ex parte obvenit.

Colligitur 3tio : Aulam **HENRICI** eo tempore **VIENNÆ** jam existisse : tribuit quippe Scotensibus districtum omnem *a fossato curiæ suæ , usque ad Alsam rivum* , ut literæ foundationis loquuntur.

Anno 1165. **HENRICUS** sponsalia **AGNETIS** filiæ suæ cum **STEPHANO III.** Hungariæ Rege **VIENNÆ** celebrat ; ad quæ Imperator ipse Passavio per Danubium delatus , quatuordecim fere dies inter ludos & hilaria exegit. **CALLESIIUS P. II.** pag. 43.

Anno 1171 **HENRICUM** Leonem Bavarïæ , ac Saxoniæ Ducem , & **FRIDERICUM** Sulzbacensem in Palæstinam profecturos magnifice **VIENNÆ** excipit , ac subinde in Hungariam deducit **HENRICUS** Austriæ Dux. **CALLES. P. II.** p. 52.

Ad annum 1176. scribit **BALBINUS** in Epit. Boh. lib. 3. c. 12, dum **CONRADUS** Znoymensis & **SOBIES-**



LAUS II. Bohemiæ DUX AUSTRIAM vastarent, a WILHELMO Comite KAUNIZIO VIENNAM adactam ad mænium suorum demolitionem: sed nulla rei hujus mentio apud nostrates, vel exteros authores præter unum, alterumve Bohemum, gloriæ gentis suæ nimium indulgentem. Certe HENRICUS Dux non Anno 1176. ut vult DUBRAVIUS, sed sequenti decessit. V. CALLESIUM Annal. Austr. P. II. pag. 58.

Anno C. 1177. HENRICUS JASOMIRGOTT equo lapsus, Id. Januarii VIENNÆ exstinguitur, & ad Scotos sepelitur: regimen reliquit LEOPOLDO VI. filio, virtuoso dicto, assignata HENRICO filio juniore ditone in MEDELIK, cui ipse HENRICUS JASOMIRGOTT cum Marchionis titulo, vivo etiamnum patre LEOPOLDO Pio, quondam præfuisse videtur. Innotescit hoc ex literis INNOCENTII II. datis 1136. VII. Id. Februar. Monasterio Mellicensi, ob injurias ab HENRICI ministris ei cœnobio illatas. V. CALLESIUM Annal. Austr. P. I. pag. 474.

Quomodo jam VINDOBONA, vel FAVIANA per 600. annos intercidit, ab eo nempe anno, quo Romanis ODOACRI jussu in Italiam commigrandum fuit: aut ab eo tempore, quo HUNN-AVARES hic rerum potiti sunt? quando singulis pene sæculis de hac urbe fit mentio: quando duæ vel tres Ecclesiæ quadringentis prope annis cum suo, ac civitatis nomine perdurarunt:  
quan-



quando Anno 826. RATFREDUS FAVIANÆ Episcopus exstitit? An Ethnici HUNN-AVARES, deletis reliquis ædibus, a solis scilicet Ecclesiis iras suas abstinere? HENRICUS III. Imperator, an Conventum, vel Curiam VIENNÆ cogere potuit, si urbs eo tempore nulla, sed villa tantum ruralis fuit?

Qua fide sola domus, BIRKHOF dicta, inter VIENNÆ rudera constitisse asseritur, si præter S. RUPERTI, S. PETRI, B. V. AD LITUS, & S. PANCRATII ante regimen HENRICI JASOMIRGOTT VIENNÆ stetit templum S. JACOBI, DOMUS venatorum S. LEOPOLDI, & procul dubio aliæ ædes: ut quid enim tot Ecclesiæ uni villæ? Vide CALLESIUM P. II. An. Bab. p. 16.

Et vero quæ operarum copia, quæ pecuniarum vis tantis molitionibus intra triennium fere educendis, a Duce iis annis multiplici cum Bavaris, Hungaris, & Saracenis in terra sancta bellis implicito, suffecisset? Molitionibus, inquam, tantis: urbi nempe & aulæ, Templo S. STEPHANI, & B. V. IN LITORE exædificandis, fossis denique ac muris civitati circumducendis? Etenim, si urbs Anno 1146. munita non erat, quale perugium HENRICO præbuit, a GEYSA Hungariæ Rege ad LEUTHAM profligato, atque in eam sese recipienti? Ipse certe OTTO Frising., Ducis frater, jam tum VIENNAM oppidum compellat.

*Notit. Vindob.*

G

Adde



Adde probatorum Authorum neminem conditæ VIENNÆ gloriam HENRICO asserere: nihil de eo amplius refert ARENPEKIUS in Chron. Austr. & SUNTHEMIUS in tabulis Claustro-Neob. præterquam, quod urbem amplificarit, & primum in Curia Castrum construxerit.

Demus FAVIANAM a B. ALTMANNO villam nuncupatam esse in literis Foundationis Gottwicensium, quæ tamen de FAVIANA altum tacent; nihil inde evincetur: Villæ quippe vocabulo urbes maximæ ac oppida compellantur, ut *Ville de Paris*, *Ville de London*, &c. Certe RUDOLPHUS IV. Habsburgicus in literis Foundationis Universitatis hujatis VIENNAM *Villam* nominat, quamvis citra dubium urbs fuerit. Et quomodo rusticana Villa, ubi tot Ecclesiæ?

Minus obest, quod HENRICUS ipse in foundationis Scotorum literis asserat, Monasterium a se constructum in *prædio suo, in territorio scilicet FAVIÆ, quæ a modernis WIENNA nuncupatur*: non enim in VIENNAM cadit ea *prædii* appellatio, sed in spatium illud, quod cœnobio extra urbem assignavit. Porro, si WIENNA Anno adhuc 1158. prædium fuit, cur *Oppidum* ab OTTONE Anno 1146. cur *Civitas* ab ipso Duce Anno 1156. appellatur in literis Cessionis prati ZEMERVOPRECHTIS, prope DORNBACH, factæ Benedictinis Salisburgensibus? Vid. CALLES. Annal. Babenberg: P. II. pag. 3.  
Er-



Error inde manat; quod HASELBACHIUS accuratus cæteroquin rerum ævi sui scriptor, LAZIUS, ac alii, nimium tribuerint ENENCKELIO, tum vero etiam HAGENO, aliisque sublestæ fidei Authoribus, sæculi maxime decimi quarti: ac cum primis Chronico - Rhythmico, quod habetur apud LAZIUM *Rer. Vienn. L. 1. c. 4.*; sed in hoc ipso FAVIANA ab ethnico homine condita, & a Christianis subinde templo Divi RUPERTI aucta perhibetur: id autem quam male cum HENRICO Duce, conditore prætenso, cohæret?

Denique, quod ab Anno C. 568. usque 791. & ab Anno 900. usque 1042. nulla mentio fiat FAVIANÆ, seu VIENNÆ, uti fit de aliis locis, in literis vel diplomatibus, id neutiquam evincit non exstitisse eo tempore VIENNAM; sed sub Hunn - Avarum, & Hungarorum dominio fuisse, quo Christianorum Principum, vel Episcoporum potestas tum non pertingebat.

## C A P U T X.

*De amplitudine Urbis VINDOBONÆ, FAVIANÆ,  
& VIENNÆ.*

**N**on videtur urbs nostra tantæ amplitudinis fuisse sub Romanorum dominio, quantæ FUHRMANNO visa est, qui



qui eundem murorum ambitum ei tribuit illo tempore, quem nunc obtinet.

Imo enim, ut supra memini, sepulturæ intra urbes lege XII. Tabularum interdictæ erant; & tamen tum in aula moderna ad murum urbis, tum apud Patres Conventuales, tum in foro, quod antiqui macelli vocant, Romanorum sepulchra reperta sunt.

Obstat 2do, quod muri illi, quos FUHRMANNUS Romanos censet, quique ex utriusque Turris rubræ, ac Scotensis portæ lateribus hodie supersunt, Romani haud quaquam sint, sed posterioris ævi. Si enim tanti Romanorum murorum tractus & supersunt hac ætate, & nostra memoria superfuerunt; inde nempe a Cæsarea aula ad Patres usque S. AUGUSTINI, apud sacras Virgines a D. JACOBO compellatas, item pone Ecclesiam B. VIRGINIS ad litus, & aliis in locis: quantam murorum partem stetisse oportuit ante novam urbis nostræ munitionem Anno 1543. cœptam? ante primam Turcarum oppugnationem Ann. 1529.? ante 600. demum annos, dum Civitas nostra ab HENRICO condita fertur? Quod si autem ea murorum, turriumque firmitate ac copia cincta tunc VIENNA erat, ecquid ad aliquam solidissimorum murorum turriumque partem, novam, quam molitus fingitur, civitatem non applicuit potius HENRICUS, quam undique ab iis separatam & versus Danubium vix aliquot passibus disjunctam, tantis & laboribus & im-



impensis conderet, ac fossis, murisque multo infirmioribus cingeret?

Eccur templum princeps S. STEPHANI, & lanarum stratam (vulgo WOLLZEYL) urbe exclusit, quam ipse eo tempore struxit? Quo pacto extra muros fundati Scotenses dicuntur, si vel nostra ætate e veteribus Romanorum muris pars tanta extra templum, & monasterium conspicitur?

Quam male denique urbis suæ securitati Dux consulisset, novis illis, & infirmis muris; dum solidissima moenia, & vastissimas turres civitati novæ imminentes, hostium commodo reliquisset?

Neque oppositum his evincunt portæ, & turres lapidum forma Romanum Ædilem arguentes: multas enim ædes, e lapide adamantum more secto, contueri hodie VIENNÆ licet, ac licuit haud multo abhinc, quæ tamen hodierni operis esse negari non possunt.

Qua ratione Romana sit turris illa, quæ in armamentario navali inferiori conspicitur; quando constat, olim Danubium per spatium illud, quod nobis hodie SALZGRIES est, fluxisse, & Ecclesiam B. VIRGINIS a Litore ejus fluvii compellatam, & gradus, quos ajunt piscatorum, alluisse? Inventa sunt Anno 1746., dum ad novam, ut vocant, portam, amplum militum contubernium strueretur, certa testimonia, quæ fidem faciunt hunc olim cursum istud Danubii brachium tenuisse. Eru-



ta sunt quippe repagula lignea, quibus fluminum impetus refringitur, quæ aquarum, annorumque vi velut in ebenum transierunt. Hodieque in aula PASSAVIENSI inferiori muro Ecclesiæ inserti conspiciuntur annuli ferrei, in quibus olim rates suas nautæ alligarunt.

Quod vero nonnulli turres aliquas VIENNENSES, ac muros, propter robur, ac firmitatem Romanis vindicent, id quidem infirmum est argumentum: nam norunt plurimi murum aulico horto, a Paradiso compellato, præensum, ubi nunc nova Equestris schola cernitur, etsi non Romani, sed recentioris Architecti opus, tam solidæ tamen compagis fuisse, qua urbem respicit, ut eum nitrato pulvere in partes disrumpi, ac everti oportuerit.

Et vero LEOPOLDUS Gloriosus, ac subinde OTTOCARUS Rex, dum sibi muniendam novo labore urbem sumpserit, firmioris certe operis muros, turresque struxere, quam fuerint ii, quibus minor ante civitas claudabatur.

Næ, si omnes illi totam urbem ambientes muri, qui in Typo HIRSGLIANO cernuntur, hodie dum existerent, pro Romanis (utpote superstitionibus plane similes) a FUHRMANNO habendi essent: hoc autem cum præensa ab eodem antiquissimæ civitatis ruina haud quaquam conveniret.



Antiquæ igitur Urbis ambitus a porta Sagittaria (PFEILERTHOR) per forum herbarium *vulgo* GRABEN, ad busta seu BRANDSTAT, per forum liniarium, seu HAARMARKT: inde reductu modico versus GAMINGENSEM, & PEMFLINGER-hodie DEMPFLINGERIANAM domum: dein pone Danubium, qui tum per SALZGRIESS seu arenam salinariam defluebat, usque ad profundam fossam *vulgo* TIEFEN GRABEN excurrebat. Hinc per profundam fossam usque ad domum a Tartaro jaculante dictam, *seu* HAYDENSCHUSS, inde per plateam claviculariorum ad portam sagittariam, id est, PFEILERTHOR urbs porrigebatur.

Aliquibus, ut HANSIZIO & CALLESIO ex literis foundationis Scotorum videtur, HENRICI Ducis tempore, Sancti STEPHANI templum, & plateas, quæ a lana, cantoribus, ac coriariis vel Romanis nomen habent, *vulgo* WOLLZEIL, SINGER - RIEMER - *seu* RÖMERSTRASSE urbi inclusas fuisse: ecquid enim princeps templum, vicinamque regionem extra urbem, quam actu struebat, removisset HENRICUS? Ego vero in illis literis, quod ad eam rem faceret, nihil admodum deprehendi: sed inde concludo, VIENNAM jam ante tempus illud conditam fuisse, proin necesse habuisse Ducem novi templi fabricam extra urbem moliri, quod ei capiendæ angustus murorum ambitus par non erat.




---



---

C A P U T X I.

*Uterior VIENNÆ amplificatio, ac munitio, cum brevi  
Chronico rerum ad eam maxime pertinentium, usque ad  
mortem FRIDERICI Bellicosi, ultimi AUSTRIÆ  
Ducis ex stirpe BABENBERGICA.*

---

**A** NNO C. 1177. LEOPOLDUS DUX, Virtuofus di-  
ctus, regimen AUSTRIÆ auspicatur.

ANNO 1182. LEOPOLDUS Virtuofus in Palæstinam  
per Hungariam proficiscitur: inde sub ipsas nascentis  
Salvatoris ferias per Styriam VIENNAM revertitur.  
S. Crucis partem, magnitudine sua manum Viri æquan-  
tem, quam secum attulit, Claustro ad SATTELBACH  
donat, quod quidem inde majorem celebritatem, non  
tamen Sanctæ Crucis nomen primum indeptum est; hoc  
enim jam a S. LEOPOLDO in foundationis literis ei contri-  
butum fuit.

Eodem itinere Fratres HIEROSOLYMITANOS, seu  
TEMPLARIOS, secum adducit. Ita CUSPINIANUS, &  
LAZIUS in LEOPOLDO VI.

Anno



Anno 1184. IV. Non. Jan. VIENNÆ obit THEODORA HENRICI JASOMIRGOTT Vidua, & pone Maritum apud Scotos humatur.

Anno 1186. LEOPOLDUS Dux Templariis Templum ædificat, subinde ad B. VIRGINEM Rotundam dictum. INSPRUGGER in Austria mappis Geographicis distincta P. I. p. 62.

Anno 1187. VIENNÆ magna annonæ caritas, lues pecorum, & hominum. Septembri mense magna solis eclipsis. Denique VI. Non. Oct. Hierosolyma a Saracenis sub SALADINO capitur. CALLESIVS & Chron. Austr. ad hunc annum.

Anno 1189. FRIDERICUM I. Imperatorem, cum natu minore filio FRIDERICO & magno comitatu, secundo Danubio advenientem, dum cum exercitu in Palæstinam tenderet, VIENNÆ LEOPOLDUS splendide accipit, & liberaliter habet. Testantur hoc literæ FRIDERICI datæ VIENNÆ anno præsentis, XV. Cal. Junii. Apud MEICHELPEK. T. I. p. 380.

Anno C. 1190. FRIDERICUS Imperator haud procul Seleucia ignoti fluminis gurgite hauritur IV. Idus Junii; successorem nactus filium HENRICUM VI., cognomento Asperum. Ignarus hujus fati LEOPOLDUS in Palæstinam abit.



Anno C. 1191. In Ptolemaidis oppugnatione inclarescit; sed offensus a RICHARDO Anglorum Rege, capta urbe in AUSTRIAM redit.

Anno 1192. Ex conventionem, sex abhinc annis cum OTTOKARO VI. ultimo STYRIÆ Duce inita, eoque hoc anno defuncto, LEOPOLDUS DUX STYRIÆ inauguratur Wormatiæ IX. Cal. Junii a Cæsare HENRICO VI.

Anno C. 1192. 20. Decembris (ut habet RADOLPHUS de Diceto Imagi. Hist. Col. 668.) qui erat Dominicus dies, quo carnibus vesci licet, ERDBERGÆ prope VIENNAM LEOPOLDUS DUX RICHARDUM Angliæ Regem, factum in Adria naufragio clam hac transeuntem, & latendi gratia verum versantem intercipit, ac custodiæ mandat.

Ineunte anno 1193. RICHARDUM ad HENRICUM Imperatorem, Ratisbonæ eo tempore degentem deducit LEOPOLDUS; sed quod transigendæ rei maturitas nondum adesset, iterum reductum HADMARO CHUNRINGIO Tirnsteinensi in arce custodiendum committit. *V. Chron. REICHERSPERG. & CALLESIIUM* ad hunc annum. Mense dein Martio X. Cal. April. eundem HENRICO Cæsari Spiræ tradit.

Eodem anno & ab incendio, & ab eluvione VIENNA patitur. *Chron. Austr.*



Anno sequenti 5. Febr. LEOPOLDUS Dux RICHARDO libertatem impetrat, acceptis ab eo WORMATIÆ septem obsidibus, & quinta promissi lytri parte, nempe bis mille libris argenti. Magna hoc anno VIENNÆ & in Germania fames.

Exeunte anno VII. Cal. Januarii, AUSTRIÆ ac STYRIÆ Dux LEOPOLDUS, Græcii equo lapsus crus confringit; ex quo imperite rescisso II. Cal. Januarii extinguitur, primum per Hardbergensis Ecclesiæ rectorem, dein etiam per evocatum e vicinia Salisburgensem Antistitem ADALBERTUM a noxis absolutus.

Quis jam credet Anglico ære, quod & modicum, & paucis ante mensibus accepit, altero tanto auctam, munitamque ab hoc Duce VIENNAM fuisse? Rectius ista filio ejus, LEOPOLDO Glorioso, quidquid contra occinat ENNENCKELIUS, reservantur; tribus enim duntaxat Anglis stipatus ERDBERGAM subiit RICHARDUS, nec plures septenis obsides misit; anne horum humeris tam cito perfecta sit VIENNÆ munitio? Inchoasse tamen suburbiorum munitionem persuadent tot Authores domestici: ENNENCKELIUS, HAGENUS, HASELBACHIUS, CUSPINIANUS, & TABULÆ CLAUSTRO-NEOBURGENSES, quibus saltem aliquid tribuendum.

Pro LEOPOLDO patre gubernium AUSTRIÆ & STYRIÆ capessit FRIDERICUS, dictus Catholicus.



Anno 1195. servata sibi AUSTRIA, STYRIAM LEOPOLDO, fratri natu minori, regendam cedit.

Anno C. 1197. WOLFGERUS Pataviensis Episcopus, haud dubie FRIDERICI Ducis hortatu, jam in eo erat, ut in sacratoris curæ partem Antistitem sibi a COELESTINO III. Pontifice exoraret, VIENNENSI in urbe constituendum: sed Palæstinæ expeditio, FRIDERICI Ducis præmaturus obitus, WOLFGERI ipsius in Patriarchalem Aquilejæ sedem consecuta translatio moram consilio injecere. CALLESIUS P. II. Annal. Austr. p. 142, ex literis INNOCENTII III. ad MANEGOLDUM Pafaviensem Episcopum.

FRIDERICUS DUX in Palæstinam iter suscipit.

Eodem anno, dum compositis Siciliae rebus trajetum in Palæstinam MESSANÆ operitur HENRICUS VI. Imperator, ibidem obit. Qui Imperium pro eo ambirent, æmuli confestim exstiterunt, PHILIPPUS defuncti frater, & OTTO Saxoniae Dux; sed sacrae in Palæstina expeditionis Principes jam FRIDERICUM, HENRICI filium, ei successorem designarunt.

Anno 1198. XVII. Cal. Maji, ad Superos in terra sancta abiit FRIDERICUS Austriae, & Styriae Dux: cui successit suo jam jure frater LEOPOLDUS, qui VII., & postea Gloriosus audiit.

Hic continuo VIENNENSIBUS Municipales leges, emporii jura, aliaque privilegia impertit. Vide LAZIUM Rer. Vienn. L. 2. c. 7. Anno



Anno circiter 1200. continuato Patris sui labore suburbia, quæ nunc STUBENSIS PORTÆ regione continentur intra urbem, fossis ac muro LEOPOLDUS cingit; stetisse enim ea jam tunc, ac cumprimis templum S. STEPHANI, ac stratum lanarum, seu WOLLZEIL, constat ex literis foundationis Scotorum. De cantorum autem, ut nunc vocant, germanice SINGER - vel SINNINGER-STRASSE, ac coriariorum seu Romanorum platea, vulgo RIEMER-vel RÖMERSTRASSE fidem facit CALLESIUS P. I. Annal. Auftr. pag. 541 & 542.

Neque tamen totam, quanta nunc est, urbem muris clausit LEOPOLDUS Gloriosus, ut infra patebit. Patres certe Conventuales adhuc post 24 annos in suburbio locati dicuntur.

Sub initium ejusdem anni 1200. VIENNAM subire Equites Teutonici Hospitalis S. Mariæ Hierosolymis, testante INSPRUGGER in Austria mappis illustrata. RAYMUNDUS DUELLIUS in Hist. Ord. Equit. Teut. P. III. pag. 40. memorat duntaxat eos certis redditibus dotatos ac stabilitos sub LEOPOLDO VII. fuisse. Confedisse eos statim, ubi domus nunc & Ecclesia TEUTONICA sita est, infra videbimus ad Annum 1258. Ecclesia tamen eorum S. ELISABETHÆ dicata tum nondum fuit, quippe in vivis etiamnum existenti.

Sub idem tempus Equites S. Joan. Hierosolymitani dein RHODII, demum MELITENSES dicti, domum &



Ecclesiam S. JOANNIS BAPTISTÆ in platea Carinthiaca, quæ tunc extra urbem fuit, exstruxerunt.

Anno itidem 1200. LEOPOLDUS Dux VIENNÆ a WOLFGERO Passav. Antistite die Pentecostes accingitur militari baltheo, præsentate CHUNRADO Moguntino, & EBERHARDO Salisburgenfi Archi-Episcopo. CALLESIIUS ad hunc annum.

Eodem anno NEOSTADIUM condit. CALLES.

Anno 1201. IV. Non. Maji media hora VIENNA vehementi terræ motu concutitur. CALLESIIUS.

Contractis priore anno sponsaliis, hoc anno 1203. LEOPOLDUS, præsentate PHILIPPO Germaniæ Rege, & magno Procerum comitatu, nuptiarum solennia cum THEODORA COMNENA celebrat VIENNÆ. Chron. Austr. CALLESIIUS Annal. Austr. P. II. pag. 166. & 167.

Anno 1204. Constantia EMERICI Hungariæ Regis vidua, ab ANDREA Tutore metuens, cum filio LADISLAO VIENNAM confugit. Sed hoc, anno 1205. ibidem extincto, ANDREAS patruus Regnum jure obtinet; CONSTANTIA vero ad fratrem Arragoniæ Regem in Hispaniam revertitur. Chron. Austr.

Anno C. 1207. urget apud Pontificem LEOPOLDUS Episcopatum VIENNENSEM. Sic enim hoc anno ad MANEGOLDUM Passaviensem Episcopum scribit INNOCENTIUS III. „ Unde considerans dictus Nobilis (LEO-



„ POLDUS Dux) - - nobis humiliter supplicavit; ut  
„ specialem ordinare Pastorem super gregem Domini-  
„ cum dignaremur, locum congruentem designans, in  
„ quo decenter constitui posset Ecclesia Cathedralis,  
„ VIENNAM videlicet civitatem, quæ post Coloniam  
„ una de melioribus Teutonici Regni urbibus esse dicitur,  
„ amœna flumine, situ prædita, civibus populosa, in  
„ qua dudum Episcopalis sedes noscitur exstitisse. Hæ  
literæ extant apud STEPHANUM BALUZIUM T. II.  
Epist. INNOCENTII III. L. X. Epist. 52.

Et vero res prope confecta erat; cum dubia primum  
Episcopatus dos moram injecit, rerum dein in Germa-  
nia conversio, interfecto PHILIPPO Cæsare, negotium dis-  
cussit. CALLESIUS P. II. Annal. Austr. p. 179.

Anno 1208. Ab OTTONE Palatino de WITTEL-  
SPACH occiditur PHILIPPUS Germaniæ Rex.

Anno 1210. III. Cal. Jun. & V. Id. Aug. eluvio  
ingens VIENNÆ.

Anno 1211. ingens gelu, & nivium copia in agro  
VIENNENSI.

Anno 1212. in fonte domus ad rubram crucem di-  
ctæ, juxta anticam portam Cisterciensis aulæ, quæ a  
S. CRUCE nomen habet, repertus dicitur basiliscus, cu-  
jus ectypon lapideum hodie in muri concavo ibidem  
cernitur. LAZIUS Rer. Vienn. L. 3. c. 6.



Anno C. 1213. iterata electione FRIDERICUS II. HENRICI VI. filius Romanorum Rex confirmatur.

Anno 1214. OTTO IV. Imperii æmulus, victus a FRIDERICI fautoribus, secedit in Saxoniam, nihil ultra molitus.

Eodem anno UDALRICUS Passaviensis Canonicus, & LEOPOLDO Duci a secretis, Sacellum S. CATHARINÆ in aula ZWETLENSI a se constructum, dotat; MANEGOLDUS vero Ep. Patav. consecrat, & stabilitate donat.

Anno 1216. LEOPOLDUS LEOPOLDI Ducis filius Claustro - Neoburgi ex arbore lapsus præmaturo fato decessit.

Anno C. 1217. LEOPOLDUS Gloriosus inito in terram sanctam itinere, cum ANDREA Hungariæ Rege conscensis Spalatri navibus, e portu solvit.

Anno 1218. OTTO IV. Germaniæ Rex in Saxonia vivere desiit. Hoc accepto nuntio LEOPOLDUS, rebus ad Damiatam præclare gestis, per Hungariam in AUSTRIAM revertitur, ubi sequenti anno advenit.

Anno 1222. magna pompa AGNES filia LEOPOLDI Ducis nubit WERNHARDO Duci Anhaltino VIENNÆ. Chron. Austr. Mortua autem est ante Annum 1248; cum in divisione thesauri a FRIDERICO fratre relictæ, nulla illius mentio. CALLES. P. II. Annal. Babenb. in Indice I.



Annus 1223. HENRICO Medlingensi, LEOPOLDI patruo supremus fuit. Hujus in ditione erant MEDLINGA, DRASKIRCHIUM, SALENAVIA, NEUDORFIUM, WALTERSTORFIUM, KAYSERSPERGA, &, ut nonnullis placet, GUMPOLDSKIRCHIUM. Succedit illi HENRICUS filius, Junior dictus.

Anno 1224. quo sacris Christi stigmatibus insignitus est, FRANCISCUS Seraphicus, LEOPOLDO petenti concedit Minores Conventuales, quos (ut refert author sæculi V. Fratrum Minorum VIENNÆ editus, c. 1.) in prædio suo, tum in suburbio collocat, ibidemque ipsis Ecclesiam cum monasterio erigit, quod suburbium successu temporis cum urbe dilatata coaluit. Hoc spatium proinde muris cinctum nondum fuit: sed neque de vicina Ducis aula ulla memoria.

Anno 1225. Cal. Nov. MARGARETA LEOPOLDI Ducis nostri filia, nubit HENRICO Regi, FRIDERICI II. Imperatoris filio, Norimbergæ in magna Principum frequentia. Auxit celebritatem foedus nuptiale alterum, quod ibidem eadem die HENRICUS MARGARETÆ frater cum AGNETE (RICHARDAM nostri appellant) HERMANNI Thuringiæ Landgravii filia contraxit.

Eodem anno Patres a Carmelo dictos, VIENNAM a LEOPOLDO inductos, & in veteri aula (nova jam condita) collocatos ORTILO scribit. De nova aula nihil liquet; & dictos Patres non nisi circa an-



num 1361. stabilem VIENNÆ sedem nactos esse certum fit ex literis INNOCENTII VI. Anno 1360. ad eorum in Alemannia Provinciæ Præsidem datis, quæ sic habent: *Quod vos in Diœcesi Pataviensi locum aliquem vestri ordinis non habetis; & quod Rudolphus Dux Austriae in Villa WIENNENSI dictæ Diœcesis, unum locum dare, & edificare proponit, &c.* Aulam denique ipsam multo post ab ALBERTO III. adeptos esse suo loco videbimus.

Anno 1226. LEOPOLDUS Dux Patres Prædicatores, ex Hungaria submissos, stabili VIENNÆ sede donat. TIMON *in Chronol. Ung.* Translatis nempe alio Templariis, quorum Ecclesia ad B. VIRGINEM Rotundam S. DOMINICI filiis tradita est.

Anno 1228. in Moravia pœnitens obit HENRICUS V. degener LEOPOLDI Ducis filius, *Crudelis* dictus. CALLESIUS P. II. *Annal. Babenb.* p. 245.

Ad annum 1229. notat BALBINUS Epit. Boh. L. 3. c. 14. a WENCESLAO Bohemiæ Rege, & CHUNRINGIIS non modo AUSTRIAM trans Danubium CREMSIUM usque vastatam, sed Hungariam quoque usque Trenchinium: quin VIENNAM ipsam captam, & non nisi viginti aureorum millibus acceptis redditam esse. AUSTRIÆ vastatio Cremsium usque vera est, quæ tamen exeunte primum anno 1230, vel sequenti evenit: falsa reliqua. Eo quippe tempore nullum WENCESLAO  
cum



cum Hungaris bellum erat, ut eorum terras vastaret; captæ autem VIENNÆ nullus Authorum præter Bohemos meminit. V. CALLESIUM Annal. Austr. P. II. pag. 266.

ANNO 1229. FRIDERICUS LEOPOLDI Ducis filius uxorem alteram SOPHIAM THEODORI Lascaris Græcorum Imper. filiam, & sororem Mariæ uxoris BELÆ IV. Regis Ungariæ repudiat.

ANNO 1230. VIENNÆ AGNETEM OTTONIS Meraniæ Ducis filiam, neptem GERTRUDIS, quæ fuit mater BELÆ IV. uxorem ducit. Chron. Austr. ad hunc annum.

ANNO eodem LEOPOLDUM Ducem alendis egenis civibus extra portam CARINTHIACAM ad rivum VIENNAM Xenodochium molitum fuisse scribitur; sed literæ autographæ sigillo civitatis & Hospitalis munitæ, anno 1268. 29. Junii datæ, clare docent: Hospitale hoc primordia sua debere privatæ quorundam fidelium erga infirmos derelictos misericordiæ. Titulo S. SPIRITUS gaudet, ut antiquissimum sigillum, & literæ docent. Substitisse jam Anno 1257. ostendit primo suo documento codex membranaceus ejusdem Hospitalis ante 400. annos exaratus. Erat Xenodochium hoc in Germania maximum ante obsidionem primam urbis nostræ, ut ejusdem tum sacer Curio Gregorius HAYML fidem facit. Stetisse fertur eo loco, quo hodiedum antiquissimus colossus perpetuo, ut vulgus arbitratur, lumini alendo constru-



etus cernitur; ego in ejus columnæ inscriptione, quod certitudinem adferret, nihil inveni.

Imminente Anno 1529. Turcarum obsidione, Xenodochii incolæ interim ad portam Cœli traducti sunt: inde everso per obsidionem Xenodochio 1. Martii Anno 1530. latius spatium, nempe Monasterium Virginum sanctæ CLARÆ (quæ hostis metu in Carinthiam dilapsæ sunt) occupavere: in quo, cum antiquum Xenodochium ob novam Urbis munitionem priori loco excitari non posset, FERDINANDI I. consensu permansere, Virginius reducibus alio translatis. *Tabul. Xenod. Civ.*

Hoc eodem anno V. Cal. Augusti ad S. Germanum in Apulia vivere desiit LEOPOLDUS VII. *Gloriosus*, AUSTRIÆ DUX. Successit filiorum tertius, FRIDERICUS, cognomento *Bellicosus*. LEOPOLDUS quippe primogenitus jam Anno 1216. ex arbore lapsus Claustro-Neoburgi occubuit. HENRICUS vero filiorum alter, quem Crudelem, Medlingensem alii, sed perperam nominant, Anno 1228. poenitens extinctus fuit. V. CALLESIUM P. II. Annal. p. 259.

Anno 1232. Ipso Purificatæ VIRGINIS festo in Scottorum templo a GEBHARDO Passaviensi Episcopo gladio accingitur FRIDERICUS cum 200. e ditione sua Nobilibus, veste omnibus rubra alboque baltheo indutis, secundum novam Austriaci scuti formam. Post meridiem recens creati equites depugnare eo in loco, qui inde PEN-



ZING nomen, velut veræ pugnæ *irritamentum* diceres, traxit. Annal. Zwetlenf. T. I. p. 298.

Animadvertendum hic: antiquum AUSTRIÆ scutum non quinque Alaudas, seu aves quascunque, sed simplicem Aquilam fuisse, quemadmodum in omnibus priorum Principum sigillis, & monumentis videre est, & recte notat Reverendissimus HERGOTT T. I. Monum. Austr. dissert. 2. Novi autem scuti rubri, alba fascia secti, FRIDERICO adhibendi causa erat, ne veteribus patris sui administris antiquo sigillo contra se se abutendi potestas esset. Idem HERGOTT, ibidem p. 71.

Novo hoc sigillo usus primum Dux reperitur in literis datis mense Novembri anni 1231. uti videre est apud PHILIBERTUM HUEBERUM in Austria ex Archivo Mellicensi illustrata.

Neque obest, quod PERNOLDUS de gestis anni 1232. scribens asserat: *Equitum vestes rubras fuisse albo interstinctas juxta formam consuetam clypei Austriaci.* Hæc enim a PERNOLDO scripta sunt post annos 35. seu post mortem MARGARETÆ, quo sane tempore forma consuetæ clypei Austriaci jam erat fascia alba in campo rubro: quin & anno 1232. forma hæc consuetæ dici poterat, quandoquidem jam priori anno, ut supra indicavimus, FRIDERICUS eam in sigillis adhibuit.

Quemadmodum priorum AUSTRIÆ Principum, ita & civitatis VIENNENSIS insigne erat simplex Aquila,



ut ex literis civium VIENNENSIVM anno 1228. feria III. ante Pentecosten datis, demonstrat Reverend. HERGOTT. Hoc tempore immutatum a Principe urbis sigillum cum FUHRMANNO existimo; ut sicut antea, ita nunc assimili cum Domino suo subditi uterentur. Novum vero urbis sigillum erat crux alba in campo rubro, vel seorsum, vel postmodum pectori Aquilæ inserta; tale enim Senatus in literis an. 1392. 1451. 1484. & 1538. adhibuit, ut videre est apud PHILIBERTUM HUEBERUM in AUSTRIA ex Archivis Mellicensibus illustrata, ipseque in Tabulario VIENNENSIS urbis conspexi. Et certe per antiquum urbis sigillum, crucem albam in campo rubro esse, innotescit tum ex antiquis numis VIENNENSIBUS, tum ex lapide supra vel juxta salis portam muro olim inserto. Hic lapis, tametsi RICHARDI Angli, & LEOPOLDI Virtuosi simulacra non præferat, exhibet tamen hoc scutum. De lapidis hujus vetustate inde conjicies; quod ejus inscriptionem jam CUSPINIANI tempore longa ætas obliterarit. Vide CUSPINIANUM in HENRICO VI. Imp. & LEOPOLDO VI. Duce.

Commodum hic monendus est mihi lector ex eodem MARQUARDO HERGOTT: a RUDOLPHO IV. primum adhiberi coeptum scutum illud quinque avium volantium speciem exhibens, in literis Anno 1359. & 1365. datis. Idque non ob totidem provincias, quibus Aquila insigne est; neque enim tot provincias, quibus



bus aquila pro scuto esset, moderabatur, & seorsim iterum, adeoque absque compendio, talium provinciarum signa adhibuit: id ergo eo maxime nomine a **RUDOLPHO** factum, quod supremi in Imperio venationum Magistri munus gereret, primusque petito ex ea dignitate titulo uteretur. Ceterum Aquilas non alaudas esse scutum in turri **S. STEPHANI** ab ipso **RUDOLPHO IV.** strui coepta clarissime demonstrat.

Anno 1233. **FRIDERICUS** Bellicosus Carnioliae portionem, qua emptione patris sui **LEOPOLDI**, qua dote uxoris suae **AGNETIS** Meraniae consecutus, se Dominum Carnioliae scribere coepit. Vide **FRÖLICHIIUM** in Archontol. Carinth. Part. Post. p. 108.

Anno 1234. **FRIDERICUS** Dux in campo ad **STADLAU** solenniter nuptias celebrat sororis suae **CONSTANTIAE** cum **HENRICO** Marchione Misniae, praesentibus Regibus Hungariae, & Bohemiae, Archi-Episcopo Salisburgensi, Episcopis Pataviensi, & Babenbergensi: Saxoniae item, & Carinthiae Ducibus, & Landgravio Thuringiae. Vid. Chron. Austr.

Anno C. 1236. a **FRIDERICO** Imperatore, ob multa, quae ei crimini dabat Caesar, exauthoratur **FRIDERICUS** Austriae Dux. Exeunte anno **VIENNAM** accedit Imperator, ad quem eo confluxere summi Imperii Principes, **WENCESLAUS** Bohemiae Rex, **OTTO** Dux Bavariae, **BERNARDUS** Dux Carinthiae, Landgravius  
Thu-



Thuringiæ HENRICUS , SIGEFRIDUS Moguntinus ,  
THEODORICUS Trevirensis, Patriarcha Aquilejensis, Ar-  
chimysta Salisburgensis, & Episcopi alii. Hyems hic  
acta a Cæsare, & CONRADUS filiorum alter, Germaniæ  
Rex nominatus in locum HENRICI primogeniti, jam tum  
exauthorati. Vid. CALLES. P. II. Annal. Austr. p. 303.

Anno 1237. Aprili mense Imperator, commora-  
tione ad id usque tempus hic prolata, liberis Imperii ci-  
vitatibus adscribit Urbem nostram, certisque legibus,  
quæ statim juris loco illi essent, & non paucis privilegiis  
ornat. Pro scuto iterum Aquilam illi, sed auream in  
nigro, ut ajunt, campo præfulgentem assignat; ut ex  
litteris FRIDERICI IV. Imperatoris anno 1461. eidem  
Urbi datis patescit. Dico Aquilam auream, sed sim-  
plicem, non vero bicipitem, quod LAZIO, & FUHR-  
MANNO visum est; neque enim usque ad LUDOVICUM  
Bavarum & CAROLUM IV. Imperatores, aut innotuerat  
veteribus ea bicipitis aquilæ forma, aut in antiquissimis  
VIENNENSIVM figillis plurium, quam unius capitis  
aquilam est reperire, ut fidem facit MARQUARDUS  
HERGOTT T. I. Mon. Austr. De Annis 1228. 1281.  
1316. 1447. 1448.

Duplicem demum aquilam auream cum corona inter  
capita diademate cinctâ, in campo nigro FRIDERICUS  
IV. Imperator urbi nostræ concessit anno 1461; ut ipse  
in bulla ejus, quam auream dicunt, in tabulario urbis

VIEN--



VIENNENSIS conspexi, & apud laudatum HERGOTT  
T. I. Mon. Austr. Dissert. 2. legitur.

Ordinario tamen sigillo in rebus minoris momenti  
urbs nostra & hodie Aquila simplici utitur.

Eodem diplomate publicum Studium, altiorum  
etiam classium, quamvis non generale, VIENNENSIBUS  
indulfit FRIDERICUS II. Cæsar. Quid enim Imperato-  
ria authoritate opus ad constituendos ludi literarii Ma-  
gistros, quando vel obscurissima loca certos dandi ju-  
ventuti suæ præceptores potestatem habent? sed de his  
plura inferius capite separato.

Anno 1237. sub finem Aprilis FRIDERICUS Impe-  
rator, antequam professionem VIENNA fusciperet,  
duos sui Vicarios in urbe constituit, ECKBERTUM  
Bambergensem Episcopum, BERTHOLDI Meraniæ Du-  
cis filium, Sanctæ HEDWIGIS & OTTONIS Meraniæ  
Ducis fratrem, cum CONRADO Norimbergensi Burg-  
gravio: sed ECKBERTO VIENNÆ illo adhuc anno e  
vivi migranti, & apud Scotos in medio chori sepulto,  
successor datus THEODORICUS DE EBERSTEIN.

Anno 1237. Coenobium Prædicatorum VIENNÆ  
consecratur. *Chronic. Austr. & Anon. Leob.*

Anno C. 1240. FRIDERICUS DUX exauthoratus  
a Cæsare, VIENNAM cum exercitu redit, urbem  
fame ad deditionem cogit, eamque cum provincia, non  
invito Cæsare, retinet.

*Notit. Vindob.*

K

An-



Anno 1242. a Tartaris ex Hungaria erumpentibus VIENNAM obsessam quidam volunt ; sed perpenfis IVONIS Narbonensis Clerici , præsentis in loco obsessio verbis, NEOSTADIUM indicari patet. *V. CALLESIUM P. II. Annal. Austr. p. 326.*

Anno 1244. novis apud Pontificem precibus Episcopatum VIENNENSEM sollicitat FRIDERICUS DUX.

Anno C. 1245. FRIDERICUS Cæsar, confirmatis cæteris privilegiis, Crucem deinceps Cæsaream suo diademati imponendi FRIDERICO Duci potestatem facit ; unde Archiducum dignitatem profluxisse nonnulli arbitrantur : verum hunc titulum jam FRIDERICUS I. contribuit, non tamen nisi a RUDOLPHO IV. adhibitum.

Illud singulare, quod Regium quoque nomen Duci aliis literis Cæsar obtulerit, AUSTRIAMQUE & STYRIAM cum CARNIOLIA ad regni honorem Majestatemque eventas voluerit : At FRIDERICUS ( si PERNOLDO credimus ) Pontificis offensionem veritus, beneficio hoc uti distulit. Plura hac de re invenies apud Clarissimum CALLESIUM *Annal. Babenberg. P. II. pag. 337.*

Anno 1246. ipsa Divo VITO festa luce FRIDERICUS Bellicosus, Babenbergici nominis postremus, ad LEUTHAM prope NEOSTADIUM, commisso cum Hungaris prælio, victoriam ardentius profecutus interimitur ; nulla prole relicta. *Necrol. Admont. & Claustro-Neob.*



## C A P U T XII.

*Chronicon rerum ad Viennensem cum primis urbem pertinentium, ab obitu FRIDERICI, ultimi Ducis, usque ad regimen Ducum e Domo Habsburgica.*

**A**nno C. 1246. Intellecta FRIDERICI Ducis cæde FRIDERICUS Imperator OTTONEM Comitem DE EBERSTEIN VIENNAM confestim properare jubet; ut integra servaret Imperio, administraretque provinciæ, Duce suo orbatae, jura; ipse tamen Imperator terras has sibi optare videbatur, seu cessione Principum, seu colore juris aliquo petito e MARGARETÆ AUSTRIÆ conjugio, filio suo HENRICO quondam nuptæ: ut vult PERNOLDUS.

Hoc, ut summus Pontifex INNOCENTIUS IV. impediret, HENRICUM Rasponem Thuringiæ Landgravium, qui contra FRIDERICUM Rex Romanorum electus erat, modis omnibus adhortatur, & stimulat; sed hic 1247. morte præventus est. Uxor ejus GERTRUDIS, quæ filia erat natu minima LEOPOLDI Gloriosi AUSTRIÆ Ducis, sine prole decessit III. Non. Martias ante Annum 1249; quippe in diviso anno priore fratris sui thesauro nulla ei portio adsignata.



Potiundæ hujus igitur Provinciæ jus aliud e conjuge sua GERTRUDE, HENRICI Crudelis filia, prætendebat WLADISLAUS, WENCESLAI Bohemiæ Regis natu major filius; sed hic quoque sequentis anni initio votis immortalus est.

Anno itaque 1247. defuncto WLADISLAO absque hærede, persequi jus suum GERTRUDIS ipsa voluit; utque fortunam periclitaretur, MEDLINGAM accessit.

Altero dein anno 1248. HERMANNO Badensi Marchioni nubit, quo denuo post duos annos orbata est, duorum ex eo liberorum FRIDERICI nimirum filii, & AGNETIS posthumæ mater relicta.

Aliud in AUSTRIAM jus aliis habere visa est MARGARETA, ultimi Ducis regnantis, cui proles erant, LEOPOLDI nempe Gloriosi filia natu maxima. Hæc post HENRICI Regis conjugis sui mortem in Italia retenta, demum a FRIDERICO Imp., postquam FRIDERICO Duci reconciliatus esset, dimissa, Treviros se receperat in sanctimonialium D. DOMINICI cœnobium, a S. CATHARINA nuncupatum, in eoque Vidua hæctenus degebat: neque tamen sacro illi cœtui aut sumpto solenni ritu velo, aut nuncupatis votis mancipata. Ea igitur Pontificis hortatu in AUSTRIAM sese retulit 1248; cumque VIENNA ab OTTONE Ebersteinio pro Cæsare etiamnum teneretur, HEIMBURGI confedit.

Anno



Anno eodem OTTO Ebersteinius FRIDERICI II. Imp. Vicarius, scissos factionibus optimatum animos cernens, VIENNA ad Cæsarem abit.

Anno 1250. Exempto humanis rebus FRIDERICO II. Imperatore, de Imperio inter sese litigarunt GUILIELMUS Brabantiae Comes, RICHARDUS Anglus Comes Cornubiæ, & ALPHONSUS Castellæ Rex. Verius, magno tum interregno abrupta est Imperatorum series.

Anno 1250. IV. Non. Oct. moritur HERMANNUS Badensis VIENNÆ, & CLAUSTRO-NEOBURGI sepelitur. Post mortem Mariti GERTRUDIS se confert in Misniam ad Amitam suam CONSTANTIAM cum filiolo FRIDERICO, ibique AGNETEM posthumam Anno 1251. parit. Sub finem anni auditis OTTOCARI pro AUSTRIA molitionibus, GERTRUDIS iterum VIENNAM contendit, ut in filiolum AUSTRIÆ Optimates inclinaret: spe frustrata BELÆ Regi se, suaque jura committit.

Anno 1252. cessit denique multorum adhortationibus MARGARETA, & OTTOCARO, WENCESLAI I. Bohemiæ Regis filio, WLADISLAI supra memorati fratri, HEIMBURGI VI. Id. Aprilis matrimonio jungitur. Eodem anno VIENNA incendio conflagrat, teste FUHRMANNO.



Anno 1253. X. Cal. Oct. WENCESLAUS Bohemiæ Rex vitam clausit, ac successorem habuit OTTOCARUM filium. GERTRUDIS MARGARETÆ amitæ æmulatione novas quærens nuptias, easdem hoc anno celebrat in HUNDBERG cum ROMANO Russiæ Duce, Belæ IV. Hung. Regis Nepote, & JUDENBURGI confidet.

Anno 1254. moritur CONRADUS Siciliæ Rex, FRIDERICI II. Imperat. filius, a Patre etiam Romani Imperii Rex designatus; at ejus possessione una cum patre exciderat.

Anno 1258. die festo S. AFRÆ Domus Teutonica cum templis S. STEPHANI, JACOBI, MARIÆ ROTUNDÆ, & S. JOANNIS, quod Rhodiorum Equitum erat in KARATA, lege *strata* KARINTHIANORUM, incendio correpta est. *Chron. Zwetl. & Austr.*

Anno C. 1261. Repudiatur ab OTTOCARO MARGARETA, quæ sedem suam in CHREMIS locavit; CRUMPENAVIAM tamen, ut ex ejus literis patet, per intervalla incoluit.

Anno 1262. VIENNA, teste FUHRMANNO, iterum magna sui parte incendio deflagrat.

Anno 1267. a quarto Idus Maji Provinciale, quod vocant, Concilium VIENNÆ per triduum celebratum est a GUIDONE Cardinale, Cisterciensi Abbate, & Apostolico Nuntio. Coetus in sacra D. STEPHANI æde habiti. Interfuere JOANNES Episcopus Pragensis, PE-



TRUS Passaviensis, BRUNO Brixinensis, CONRADUS Frisingensis, LEO Ratisbonensis, AMELRICUS Lavan-  
tinus, & Abbates alii, ac Prælati. V. CALLESIUM  
ad hunc annum.

Hoc item anno GEBHARDUS, *vel* GERARDUS, Ca-  
nonicus Passaviensis, & Capellanus Pontificius, qui A.  
1252. in Curionis VIENNENSIS munere subrogatus est  
LEOPOLDO, sacro eo honore cedere jussu, Monaste-  
rium a porta Coeli dictum Virginibus, quæ Dominæ re-  
clusæ dicebantur, condit: Leprosorum item Nosodo-  
chium in KLAGBAUM. Utraque Ecclesia sacro ritu in-  
augurata est a PETRO Passaviensi Antistite, GUIDONE  
Cardinali sacram eam cærimoniam præsentia sua coho-  
nestante. V. CALLESIUM P. II. Annal. Babenb. p. 444.

Exempta est eodem anno CREMSII mortali vita  
MARGARETA, HENRICI Romanorum Regis vidua,  
OTTOCARI repudiata uxor V. Cal. Nov. Tumulo ca-  
daver illatum LILIENFELDÆ. Nocte eam mortem sub-  
secuta validis motibus VIENNÆ terra contremuit.  
Vide CALLESIUM P. II. Annal. p. 445.

Anno 1269. IV. Cal. Nov. FRIDERICUS HERMAN-  
NI Badensis & GERTRUDIS Austriacæ filius, cum CON-  
RADINO Sueviæ Duce, CONRADI Siciliæ R. filio, FRI-  
DERICI II. Imp. Nepote, Neapoli securi percussus inter-  
iit: uterque stirpis suæ surculus ultimus.



ANNO 1271. STARCKENBERGAM, Castrum in Palæstina, & soli ingenio, & artis operibus permunitum, LEOPOLDUS Virtuofus AUSTRIÆ DUX, antequam cum RICHARDO Rege collifus esset, sua opera, sumptuque repararat, præsidium Palæstinæ, frenum barbaris futurum: id, cum collapsis jam dudum Palæstinæ rebus, admirabili militum fortitudine pene unicum Saracenorum vim, terroresque ad eum diem elufisset, extincta tandem penitus Babenbergica per AUSTRIAM gente, in barbarorum hoc anno manus potestatemque venit: perinde ut si salva ea gente perire, extincta superesse non posset. CALLES. P. II. Annal. Babenb. p. 478.

ANNO 1273. RUDOLPHUS Habsburgicus, ipsa D. MICHAELI sacra luce, præter exspectationem, & absens, Francofurti Romanorum Rex eligitur.

Ad annum 1274. adnotatum ab ANTONIO STEYERERO reperio in ejus Commentariis ad ALBERTUM II. col. 263. *Porta hæc sagittaria (PFEILERTHOR) terminus civitatis fuit ad meridiem; donec circa annum 1274. ab OTTOKARO Bohemiæ Rege adjecta esset pars altera, quæ ab ea turri, & porta per vicum Carbonarium ad Palatium usque protenditur.*

Ad annum 1275. sic refert Anonymus Leobienfis: *His temporibus urbem quoque VIENNENSEM OTTOKARUS infra muros, apud portam WYTMARK valde munitam cæpit construere.* Eadem iisdem prope verbis habet

Chro-



Chronica Australis ad hunc annum. Qua in re notandum, vocibus illis: *infra muros*, partem urbis designari, quæ infra, vel intra muros eo tempore existebat, cum ANONYMUS Leobienfis Chronicon suum Australe literis mandaret.

OTTOCARO igitur reliqua VIENNÆ munitio, qua regionem WIDMERIANAM, & CARINTHIACAM complectitur, non LEOPOLDO *Glorioso* tribuenda.

Anno 1275. ut refertur in Chronica Australi, claustrum, templumque S. NICOLAI, Virginum Cisterciensium sedes, VIENNÆ *infra muros*, in honorem S. TRINITATIS & B. VIRGINIS, *ut alia Griseorum Monachorum templa*, Sanctorum item NICOLAI, BERNARDI, & undecim mille Virginum, a PETRO Episcopo Passaviensi dedicatum est. Surrexit ea ædes, ac Cœnobium HENRICO S. Crucis Abbate, PALTRAMO dicto VATZONE VIENNENSI postea consule, aliisque liberaliter sumptus conferentibus. CALLESIUS *cit.* P. II. p. 501. Stetit autem ea ædes in urbe, ubi nunc Parthenon S. NICOLAI; ut sequenti capite docebimus.

Annus 1276. crebris incendiis VIENNÆ finister fuit: 28. Martii pars urbis circa plateam cantorum, olim SINNIGERSTRASS, rapaci elemento depasta: 16. Aprilis regio illa, quæ ad forum KÜENMARKT dictum sita est, in cineres abiit: pridie denique Cal. Maji erumpens e lateritiis ante Scotorum portam fornacibus

*Notif. Vindob.*

L

flam-



flamma, & violento turbine in urbem acta, Scotorum, Minorumque Conventualium cœnobia, Paræcias item Sanctorum STEPHANI, PETRI, ET MICHAELIS, domosque cæteras haufit, intactis duntaxat 150. ædibus novo foro adjacentibus, portaque WIDMERIANA, & CARINTHIACA. *Ita Chronica Australis, & Anonymus Leobienfis ac Zwetlensis.*

Permotus eo miserabili bustorum, ruinarumque conspectu OTTOCARUS urbem instaurat: novo ac majori Conventualium templo in honorem S. CRUCIS primum lapidem ponit, veterem aulam reparat, novamque sibi molitur, ubi liberior aura, atque in amœnissimam plagam prospectus pateret; eo nempe, ubi hodiedum est, loco. Quod ex infra dicendis elucescet.

De hac secunda urbis restauratione post incendium facta, accipienda sunt verba, quæ ad præsentem annum in Chronica Australi referuntur: *secunda urbs VIENNA ad portam PYBONIS construitur.* Idem legere est apud Anonymos Leobiensem, & Zwetlensem: de Minorum vero Conventualium novo templo, nominatim fidem facit LAZIUS. *Rer. Vienn. L. III. c. 6.*

Idem annus alio etiam nomine memorabilis VIENNÆ fuit, quod 18. Octobris a RUDOLPHO Romanorum Rege obsidione premi cæpta, & post 5. hebdomadarum defensionem ad deditioem coacta est. Victori Regi in veteri aula Sacramentum (homagium vocant) dictum

ab



ab OTTOCARO *in crastino* CATHARINÆ. STEYERER  
S. J. in Comment. ad ALBERT. II.

Anno 1277. ANNA, RUDOLPHI Regis conjux,  
VIENNAM advenit.

Anno 1278. RUDOLPHUS Rex VIII. Cal. Julii singularia urbi privilegia impertit; eamque in specialem Imperii protectionem suscipit; unde in literis filii ALBERTI (Cæsarei mox in AUSTRIA Vicarii) datis Viennæ 1282. in festo S. JACOBI, urbs nostra dicitur: DES REICHS HAUBSTAD.

In RUDOLPHI diplomate præter alia confirmatur Privilegium FRIDERICI II. Imp. de publicis VIENNÆ scholis: sed de his seorsim infra.

Anno eodem OTTOCARUS dicti RUDOLPHO Sacramenti poenitentia ductus, cum armis jura sua tueri tentasset, ad Moravam amnem, WEIDENDORFIUM inter ac STILLFRIEDAM, qua DIRNKRUTUM iter est, sinistro Marte cum Romanorum Rege dimicat 26. Augusti, quæ erat feria VI., & vitam cum victoria amittit. Cadaver MARCHEGGAM primum, cujus ipse conditor fuerat, subinde ad Scotos VIENNAM, indeque rursus ad Minores Conventuales magno comitatu, sed filente Campano ære deportatum, atque in templo S. CATHARINÆ spectatorum oculis propositum. Neque tamen hoc in templo præter cor, ac intestina ex eo quidquam terræ



mandatum: corpus enim inde rursus Znoymam, ac postremo Pragam delatum est.

RUDOLPHUS e prælio VIENNAM redux ad S. STEPHANI Deo, Victoriæ Largitori grates refert: Ita OTTOK. HORNECK. Lætitia publicæ signa non deerant, inter quæ Equestre spectaculum, in quo OTTO HASLAVIUS, vetustæ in AUSTRIA nobilitatis, centenario major cum abnepote suo HUGONE TUERSIO honorariam in arenam descendit, juvenemque militari tum gladio a RUDOLPHO Rege primum accinctum ad equestre certamen provocavit. CALLESIUS ex Chron. Austr. ad hunc annum.

Anno 1281. XIV. Cal. Martii vitam terminavit VIENNÆ ANNA RUDOLPHI Regis uxor. Exeunte Majo Norimbergam, & ad alias Imperii civitates RUDOLPHUS ex urbe nostra discedit, eam ultra non revisurus: relicto in his terris Imperii Vicario ALBERTO filio.

Anno 1282. festo S. JACOBI ALBERTUS, RUDOLPHI per AUSTRIAM Vicarius, concessa VIENNENSIBUS a patre suo privilegia, nonnullis demutatis, rata habet, confirmatque in urbe nostra.

Hoc anno excitatum FUHRMANNO videtur, templum B. VIRGINI olim, nunc SALVATORI sacrum, ab OTTONE Nobili Equite de NEUBURG, qui itidem facellum in suo Maurenfi castro struxit; sed hic Anno 1277. jam defunctus erat. LAZIUS illud a cognomine OTTONIS  
hujus



hujus filio, & ejus fratre HEYMONE, prope curiam urbanam ædificatum testatur.

Anno eodem VI. Cal. Januarii RUDOLPHUS Rex ALBERTUM, & RUDOLPHUM filios in Imperii comitiis Augustæ Vindelicorum Austriacis terris præficit: verum

Anno 1283. literis Cal. Junii Rheinfeldæ datis divisum illud in duos imperium, petentibus AUSTRIÆ Ordinibus, in unum ALBERTUM transfert.

Anno C. 1286. DIETRICUS Thuringiæ Landgravius, solenni nuptiali pompa sibi VIENNÆ despondet MEINHARDI Comitis Tyrolis filiam AGNETEM, cujus sororem ELISABETHAM Dux noster ALBERTUS nuptam habebat. Non tamen hic prætermittendum, a celeberrimo FRÖLICHIO in Archontologia Carinthiæ pro DIETRICO FRIDERICUM scribi.

Anno 1295. 2da Januarii VIENNÆ mortua est AGNES HERMANNI Badensis, & GERTRUDIS Medlingensis filia, ULRICI HEUNBURGICI uxor, in choro templi S. CRUCIS apud Minores Conventuales sepulchrum naeta. De morte Sororis ejus uterinæ MARIÆ, desponsæ STEPHANO Zagrabiæ Ducis filio, certi nihil comperi. Filii AGNETIS ultra annum 1320. vitam non diu produxere, sine liberis mortui. Ita FRÖLICHIVS in Genealogia Comitum Heunburgicorum p. 40.




---



---

 C A P U T XIII.

*De templis & aulis Principum Veteris VIENNÆ dubia  
enodantur.*

---

**O**portebat quidem seorsim aularum, & templorum notitiam dare; sed quoniam nimium inter se implicata sunt, commode separari haud poterant.

Ante regimen Habsburgicorum Principum ex hætenus allatis constat VIENNÆ, & in moderno suburbiorum ambitu jam stetisse Ecclesias S. JOANNIS Baptistæ ad Alsam, S. RUPERTI, S. PETRI, B. V. in Litore, S. PANCRATII, S. JACOBI in HÜLBEN, S. STEPHANI, B. V. ad Scotos, ad B. V. Rotundam, Equitum Teutonicorum, Equitum item Rhodiorum, S. CATHARINÆ in aula Zwetlenfi, S. CATHARINÆ Minorum Conventualium, item eorundem S. CRUCIS inchoatam: Ecclesiam ad Portam Coeli, & in KLAGBAUM; Item S. NICOLAI in platea cantorum, & alias, de quibus infra.

Templum ad B. V. Rotundam hoc tempore jam Patrum Prædicatorum fuisse, quamquam Templarii ante Annum 1311. deleti non sint, docet in Chronico suo ANONYMUS Leobienfis, qui ex sacro hoc ordine ipse  
erat;



erat; scribit enim Patrum Dominicanorum Coenobium VIENNÆ jam anno 1237. sacro ritu inauguratum fuisse: idem confirmat Chron. Austr.

Quin prædictum templum Patribus his mox, ut VIENNAM subiere, traditum est, Templariis alio translatis. Ita enim memoriæ proditur apud SIGISMUNDUM FERRARIUM, de rebus Provinciæ Hungariæ Ord. Præd. pag. 26. *In vetustissimo Pergameno Martyrologio Conventus VIENNENSIS scriptum reperitur: Anno Domini 1221. obiit R. P. N. DOMINICUS; post cujus mortem, anno Dom. 1226. gloriosus Princeps LEOPOLDUS AUSTRIÆ Dux Ordini hunc conventum tradidit. Paucis interjectis sic continuat: Fratres ordinis nostri circa quintum annum a transitu B. DOMINICI inceperunt hunc conventum inhabitare, anno vero a confirmatione Ordinis decimo; quia ordo fuit confirmatus anno 1216 ab HONORIO: Et primi Fratres præsentis Conventus assumpti fuerant de Provincia Hungariæ, sicut in antiquissima quadam Historia invenitur, in qua etiam continetur, quod anno Domini 1225. completo, sit nobis datus præsens conventus VIENNENSIS.*

In Schemate hujus templi, quod scalpro olim expressum fuit, sequentia majusculis literis adnotata leguntur:

*Inscriptio in templo Prædicatorum ad B. V. Rotundam:*



D. O. M. S.  
 LEOPOLDUS VIII. D. A. (*rectius VII.*)  
 PRÆD. ORDINI SACRO  
 TEMPLUM ET COENOB<sup>m</sup> M  
 AMPLIS<sup>a</sup> AB ANTIQUO CONSTRUCTA  
 DEDIT ANNO MCCXXV. (*completo.*)  
 FERDI. I. IN SOLIMANICA OBSIDIONE DE-  
 STRUCTA REPARAVIT. A. M. D. XXX.  
 FERDI. II. VICTOR.<sup>a</sup> GLOR. CONTRA REBEL.  
 REPORTA DEFENDIT AN. M. D. CXX.  
 AC RESTITUENDO PACEM ET RELIGIONEM  
 CONSERVAVIT AN. M. D. CXXI.  
 DEMUM FERDI. III. CONIUGIO HISPANO-  
 AUSTRIAS<sup>s</sup> DEO, DIVÆQUE  
 DEIPARÆ ROSARII MARLÆ  
 TEMPLUM NOVUM VOVIT.  
 AC PRO FELICI REGIMINE ET OMINE  
 ME POSUIT  
 ANNO REG. BOH. IV. VNG. VI.  
 CHRISTI M. D. CXXXI.

Neque minus OTTOCARI ætate stetit templum S.  
 MICHAELIS, & quidem jam Parœciale; sub hoc enim  
 nomine prid. Cal. Maji 1276. cum Parochialibus ad S.  
 PETRUM, & S. STEPHANUM cumque Scotorum ac Mi-  
 norum Monasteriis incendio perivisse scribitur in Chroni-  
 ca Australi.

Ex



Ex hoc ipso incendio confici videtur, quo nunc est loco, aulam Principum tum nullam fuisse; neque enim ædium aliarum ab eo incendio indemnitate adnotassent Chronicorum elucubratores, ac nominatim portarum WITMARK, & CARINTHIANORUM, ac 150. hospitiorum circa NOVUM forum: aulæ contra in longe majori flammaram propinquitate, ab interitu servatæ, plane immemores. Consule Chronicon Australe Zwetlense, & Anonymi Leobienfis.

Eorum, qui in contraria opinione sunt, error inde fluit; quod CUSPINIANUM olim, aut nunc ORTILO-  
NEM secuti, Religiosos a Carmelo dictos sub LEOPOLDO  
*Glorioso* putarint evocatos, quibus etiam veterem aulam  
cesserit, jam sibi novam molitus. At vero ex Decreto  
INNOCENTII VI. cujus supra a nobis mentio facta est, &  
ex literis GOTTFRIDI Episcopi Passaviensis die Paschæ  
anno 1362. exaratis, in quibus Fratres de Carmelo  
VIENNÆ *noviter fundatos*, & etiam *excitados* ait,  
perspicuum fit, non ante, quam a RUDOLPHO IV. circa  
annum 1360. VIENNAM inductos esse. Neque etiam  
tum Principis aula illis continuo domicilium fuit, sed  
vicinæ aliquæ, eæque minores civium ædes; unde GOTTF-  
FRIDUS Passaviensis Præsul, quo piorum liberalitatem  
hominum ad conferenda novo Cœnobio fabricando sub-  
sidia excitaret, in hanc sententiam suis in literis ita porro  
loquitur: *locum noviter receperunt, nec habent, unde*

*Notit. Vindob.*

M

*ædi-*



*ædificent.* Putem vero Religiosæ familiæ aulam Principis capacem fatis fuisse.

Ex his quidem, præter alia, documentis recte sibi conficere videtur Claris: ANTONIUS STEYERERUS non eo, quem subinde Carmeli Patres occuparunt loco, primam aulam sitam fuisse, sed in loco civici Armamentarii; latuit illum tamen Decretum Autographum ALBERTI III. AUSTRIÆ Ducis, quo hæc opinio manifeste refellitur. Inspexi egomet hoc diploma datum 1386. quod cum sigillo suo, nihil uspiam violato, in tabulario Collegii VIENNENSIS S. J. conservatur, sicque habet: *Geben denen Carmeliten die Cappelle, und das Gesezze in dem Münzhoff, und den Münzhoff darzu, gelegen zu Wienn, in der Statt auf dem Hoff, darinnen bey alten verlauffen zeyt unsere Vorforderen geseffen, und wohnhaft gewesen seynd. Pro domo deinde Mustbals, Sohns des Juden, quæ destinata illis a RUDOLPHO fuerat, nec tamen obtigit, alias eisdem ædes contribuit ALBERTUS, atque hæc subdit: das sie denselben Münzhoff mit der Cappellen, und Gesezze, und ibren Kirchhoff, und auch andere vorgeschribene Häuser und Hoffstätt mit ibren Rechten und Zugehörung innen haben, und besitzen solten, und mögen, lediglich obn allen Züns, und Forderung, und auch darauf Kirchen, Clöster, und andere Gemach bauen und machen mögen nach ibrer Nothdurft,*



*durft, und das Sie auch ihre Kirchen und Closter gewei-  
teren mögen nach unſerer auszeigen.*

Ex his perſpectum fit, ædes quidem aulæ vicinas pro domicilio ac templo partim Patribus hiſce datas a RUDOLPHO eſſe, partim deſtinatas; aulam tamen ipſam non niſi ab ALBERTO fratre traditam.

Colligitur præterea, quid poſt aulam novam ab OTTOCARO cœptam, ab ALBERTO vero Primo perfectam, veteri Principum ſede factum fit; converſam ſcilicet fuiſſe in domum Officii Monetarii.

Ecquod autem hac in domo Sacellum? ABERMAN-  
NUS illud appellat S. PONCRATZ IN DER ALTEN BURKH; ſed a vero aberrat: nec minus FUHRMANNUS, qui ſacellum S. PANCRATII extra muros, in plateam WALTERSTRASS dictam removet. Fides enim certe HENRICO Duci habenda, qui illud perinde ac S. RUPERTI, & S. PETRI ſacella, in literis foundationis Scotorum, *infra* ſeu intra muros diſerte conſtituit. Apte hinc ædes illæ, quas per vicum clavarium, ad forum carbonarium progredientium dextrum latus reſpicit, HINTER S. PONCRATZ vocantur; hodierni enim palatii, quod ab Apoſtolico Nuntio nomen habet, pars olim erat domus BEKIANA, in qua dictum ſacellum patuit. Erat hac in æde, aliquanto tempore S. J. SEMINARIUM, cui inde hodiedum S. PANCRATII nomen adhæret. Vide CAL-



LESIVM P. I. Annal. Babenb. p. 541. in notis. SEB. IN-  
SPRUGGER in AUSTRIA mappis distincta. p. 93.

Confirmatur hæc opinio ex antiquis documentis, & delineationibus urbis nostræ: ex conspectu orthographico obsidionis primæ Turcicæ, UNO FUHRMANNI ipsius, GEORGII BRUINS altero; eo enim, quem assignavi, loco cernitur exiguæ molis templum cum turricula, addito S. PANCRATII nomine. In typo præterea HIRSGLIANO pars illa ejus vici, quæ Palatii Apostolici tergum respicit, HINTER S. PONCRAZ, pars reliqua NAGLERGASSEN denominatur. Congruunt cum his antiqua VIENNÆ urbana, in quibus eæ domus, quæ ad dextram sunt e vico illo in forum carbonarium descendentibus: DIE HÄUSER HINTER S. PONCRAZ, nomen ferunt.

Neque tamen hic antiqua Principum Aula constitit, sed eo loco, quem nunc Domus Professorum S. J. ambit, ut supra demonstravi; atque adeo in aula non erat S. PANCRATII Sacellum.

Hunc, quem dixi, aulæ veteris situm roborat FUGGERUS in Speculo honorum p. 172. ubi ait: *Henricus I. bauet eine fürstliche Wohnung auf dem Platz, wo jetzt das Profefsbaus der Societät JESU stehet.*

Adde hanc opinionem eo quoque confirmari: quod inde ab HENRICI, Fundatoris sui, tempore Scotenses  
non



non a profunda tantum fossa (vulgo TIEFFEN GRABEN) sed intra urbem quoque usque ad portam a Sagittarum opificibus dictam (seu PFEILERTHOR) animarum curam exercent. Qua autem ratione hoc fieret, si HENRICI Ducis palatium, aut in loco aulæ Nuntii Apostolici, aut armamentarii civici fuisset? An non *fossatum* curiæ terminaret sacram, quam exercent, curam? contra vero, si eo, quem Domus Professorum nunc occupat, loco, aula vetus constitit, congruunt apprime omnia, atque ex iis verbis; *a fossato curiæ nostræ*, haud difficile intelligitur, ab HENRICO Duce etiam intra urbem impenetratam Benedicinis esse sacram animarum procurationem usque ad portam Sagittariam. Et vero Anno 1756. dum latus illud Domus Professorum instauraretur, quod respicit plateam POGNERGASSEN, a fabricatoribus arcuum nuncupatam, veteres (citra dubium aulæ) fossæ detectæ sunt.

Itaque statuendum, hodiernam aulam ab OTTOCARO Rege coeptam, ab ALBERTO autem Habsburgico jam ante annum 1291. fossis cinctam, perfectamque fuisse; eo enim anno tumultuantes cum civibus sutores ligneis calceorum formis eas fossas se impleturos minati sunt, viamque sibi in aulam ea ratione facturos. Quare ALBERTUS cum uxore & liberis sese inde ad castrum montis Cetii recepit, nullo a civibus injecto impedimento. Ex antiqua aula ei fuga tam facile non patuisset,



utpote intra civitatem sita. FUHRMANNUS ad hunc annum.

Quamvis ergo OTTOCARI tempore non steterit templum Patrum de Carmelo; existit tamen Sacellum S. GEORGII in aula Frisingensi, ut cap. sequenti demonstrabitur; existit Ecclesia OO. SS. Xenodochii civici extra portam Carinthiacam. Sacellum tamen S. COLOMANNI e regione prædicti hospitalis situm, primum circa annum 1338. Magister JACOBUS Medicus de WIENNA, Plebanus in HYNPERCH struxit, & Xenodochio donavit, cui dein coemeterium adjunctum est. *Ita Tabularium Xenod. Civ.*

Advertendum hic Nosocomium aliud cum templo S. SEBASTIANI ante portam Stubensem fuisse, in usum studentium tempore luis, ferius ab Universitate ædificatum: aliud item ante portam Werdanam a FRIDERICO Pulchro Anno 1327. constitutum: aliud denique cum S. MARTINI Templo Equitum S. GEORGII ante portam aulicam, de quibus inferius sermo recurret.

Existit item templum S. NICOLAI Virginum Cisterciensium a Præfato S. CRUCIS fundatum, & quidem intra urbem in SINNIGERSTRASS; -clare enim in Chronica Australi *infra muros*, seu intra muros conditum dicitur. Unde celeberrimus alias ANTONIUS STEYERER S. J. hic perperam a Chronicæ verbis recedit, affirmatque extra muros, in vico ab Alsa nuncupato, nunc ALSTERGASSEN,



SEN, qui tum urbem propius accedebat, memoratum claustrum excitatum esse. Nam erat quidem eo quondam loco Sacrarum Virginum ædes, sed S. MAGDALENÆ sacra, Virginesque illæ Divi AUGUSTINI regulam profitebantur. Unde, cum VIENNENSIS obsidionis tempore vastatum esset earum cœnobium, ad templum S. NICOLAI in SINNGERSTRASS translatae sunt; subinde Anno 1533. in festo S. MAGDALENÆ se se Virginibus ad S. LAURENTIUM conjunxere.

STEYERERI Opinio erroris convincitur ex testamento ELISABETHÆ, conjugis FRIDERICI Pulchri, Regis Romanorum, in quo Anno 1328. duas libras numorum legat DENEN FRAUEN HINZ S. NICLA IN DER STADT, totidemque DENEN FRAUEN HINZ S. NICLA VOR DER STADT: de hoc secundo Sancti NICOLAI Monasterio mox plura. Vide interim BERNARDUM PEZIUM in Codice Diplomatico ad Annum 1328.

Confirmatur ex conspectu Historiæ Universitatis VIENNENSIS, P. II. p. 34. ubi ad annum 1481. de FRIDERICO Imperatore Pacifico scribitur: *Cæsar Universitati dat in mandatis, quatenus conaretur apud Abbatem S. Crucis Ordinis S. BERNARDI; ut nullum præstet impedimentum suæ Cæsareæ Majestati, quantum ad domum, & Capellam S. NICOLAI WIENNÆ in SINNGERSTRASS situatas, quo minus sua Majestas eandem domum, tanquam sibi debitam, & jure cedentem occasione negli-*  
gen-



gentiæ Commendatorum ejusdem, quiete accipere posset, atque cum ea constituere, quomodo vellet. Fecit Universitas per Deputatos, Rectorem nempe, Decanos, & Procuratores satis officio suo, consecutaque est Imperatoria celsitudo præfatam domum. Quam Imperator tradidit, nescio qua occasione, Nobili, atque quam præstantissimo Domino Joanni SÜBENHIERTER, Ordinis Militaris S. GEORGII Magistro, accepitque idem Dominus SÜBENHIERTER, possessionem ejusdem in præsentia prædicti Abbatis, & plurimorum Nobilium Virorum.

Hic Lectorem monitum volo: hunc S. GEORGII Ordinem a prædicto Imperatore institutum anno 1468, primumque ejus supremum Magistrum, ac Principem una Millestadiensem, creatum Anno 1468. eundem, de quo mentio fuit, Nobilem Virum JOANNEM SÜBENHIERTER, mortuum Anno 1508, cui 1509. successit JOANNES GEYMAN, defunctus 1534: huic successit WOLFFG. PRANTNER, qui obiit Anno 1541. aut 1542. & post eum Ordo ipse brevi exspiravit. *Ex Tabul. Græc. Coll. S. J.*

Quibus ex causis illud Cisterciensium Virginum Cœnobium intra urbem, lapsu temporis eo defluxerit, mihi in comperto non est; illud certum: jus in sacras eas ædes templumque e prima fundatione Abbati S. CRUCIS ad illud usque tempus mansisse; dum, ut narratum, illud una cum ædibus Imperatori cederet.

Alte-



Alterum S. NICOLAI Cœnobium, Virginum itidem Cisterciensium (ut colligitur ex literis Abbatissæ CHUNEGUNDIS apud BERN. PEZ. Cod. Dipl. P. III. p. 6.) situm erat in Via Regia, vulgo LANDSTRASS, eo circiter loco, quem nunc quoque Parœciale S. NICOLAI templum in Cœmeterio occupat. De ejus origine non constat; exstitisse tamen jam Anno 1319. clarum fit ex iisdem literis CHUNEGUNDIS Abbatissæ, quas vide apud Clarissimum BERN. PEZ. loco citato. De anno vero 1328. ejus Cœnobii testimonium habetur in ELISABETHÆ Reginæ supremis tabulis, quarum verba supra retulimus. Hujus Parthenonis memoria quoque fit in Necrologio Scotorum, in quo legitur: XI. Cal. Junii (annus non exprimitur) SIGONIÆ Abbatissæ extra portam stubarum VIENNÆ. Dirutum autem est hoc Monasterium Anno 1529. tempore primæ obsidionis VIENNENSIS. Ex ejus quadratis lapidibus, quibus constructum erat, surrexit Anno 1545. curante S. P. Q. V. propugnaculum, Patrum Prædicatorum munimento subjectum, & a SAMBUCCO dictum. V. LAZIUM Rer. Vienn. L. III. & FUHRMANNI VIENNAM P. II. p. 805.

De altero Cœnobio S. MAGDALENÆ, cujus monumentum, colossus cum statua S. MAGDALENÆ, paucis abhinc annis superstes fuerat in pomœrio, quo via ad vicum ducit ab Alsa dictum, documentum aliud adfert PHILIB. HUEBERUS in AUSTRIA ex Archivo Melli-



censi illustrata, literas nimirum datas Anno 1494. quarum hoc initium: **HELENA HEURTIN**, *die zeyt Meysterin des Frauen Closter S. Marie Magdalene vor Schottenthor zu Wien S. Augustinus Ordens: &c.* Geminum literis Sigillum appensum, Priorissæ, quam vocant, unum, in quo legitur: S - - - *Priorissæ Sancte Magdalene.* Hiatus, credo, explendus voce: *Magistræ*, qualem se supra compellat: alterum conventus Sigillum est, in quo hæc epigraphe: *S. Conventus S. Marie Magdalene VIENNE.* V. PHILIBERTUM HUEBERUM p. 154.

Accedit documentum alterum, quod in Scotorum Necrologio reperi his verbis conceptum: *XV. Kal. April. Constantiæ Magistræ Monasterii S. MAGDALENÆ, extra portam Scotorum: X. Kal. April. Eugeniæ, Decanæ S. MAGDALENÆ.*

Templum alterum S. MAGDALENÆ, intra urbem in Cœmeterio S. STEPHANI situm, sunt, qui affirmant sub RUDOLPHO IV. conditum fuisse, dum novam S. STEPHANI Basilicam moliretur; ut locus esset, in quo Parœciales interea functiones obirentur. Ego Ecclesiæ hujus primordia, post multam & laboriosam investigationem deprehendere non valui. Primum de eo documentum reperi apud eum, qui hujus templi Sacerdotium obtinet, literas videlicet Apostolici Nuntii Anno 1502. VIENNÆ datas. BERNARDUS PEZIUS in Codice



Diplomatico P. II. pag. 217. ita quidem ad Annum 1307. in Rubrica habet: *CHUNRADUS Salisburgensis dat Indulgentias Capellæ S. VIRGILII in Cæmeterio S. STEPHANI, sitæ in Crypta Ecclesiæ S. MAGDALENÆ, quondam dicta: DIE SCHREIBERZÄCH UNTER DEN NEUEN CÄRNER.* At enim literæ ipsæ Archi-Præfulis nullam Ecclesiæ S. MAGDALENÆ mentionem faciunt; hinc a diplomatum Collectore situs duntaxat modernus facelli Virgiliani verbis illis indicatus est.

Tanto antiquior hujus ipsius Virgiliani facelli memoria habetur, primum in literis WERNHARDI Pataviensis Episcopi de Anno 1305. dein CHUNRADI Salisburgensis Archi-Episcopi de Anno 1307. utræque indulgentias impertiunt. Plures alias literas subsequis annis datas cum prioribus invenies apud ejus Ecclesiæ sacerdotem. Ex his patescit Ecclesiam templo S. MAGDALENÆ subjectam, olim S. VIRGILIO dicatam fuisse, quamvis nunc S. HELENÆ nomen præferat: item hoc in loco VIENNENSES Notarios conventus sacros celebrasse: denique fontem ibi baptismalem paucis abhinc annis adhuc stetisse, ejusdem Ecclesiæ ædituus me edocuit.

De aulis nonnulla quærenda restant; ac primo quidem: an ea, quam ab OTTOCARO cœptam dixi, eadem sit cum hodierna, ad quam Helveti excubant? Affirmat LAZIUS Rer. Vienn. L. III. p. 31. apud ABERMA-



NUM, FUGGERUS in speculo honorum pag. 176. Confirmant acta ALBERTI I. de anno 1291. superius adducta hoc ipso capite; & consentiunt literæ ALBERTI II. & RUDOLPHI IV. de sacello aulico, infra cap. 17. producendæ.

Unde falsum, quidquam modernæ aulæ a MATHIA Hungariæ Rege constructum fuisse. Aula enim illa, quam per sublicium pontem adimus, jam stetit cum suis turribus & fossis tempore ALBERTI II. & RUDOLPHI IV. ut ex eorum literis infra cap. XVII. proferendis constabit. Exterior, & major aula Anno 1547. nondum existit, ut typus HIRSFOLIANSIS ostendit.

Palatium, quod modo STALLBURG, a Cæsareorum equorum stabulis nuncupatur, verisimiliter a MATHIA CORVINO ædificatum est. Nam novam VIENNÆ aulam condidit, in qua & mortuus est, ut testatur FUHRMANNUS, Vienn. Ant. & Nov. P. I. pag. 696. alia vero domus assignari non potest. Palatium hoc tempore FERDINANDI I. Romanorum Regis, Armamentarii Regii vices, & nomen tulit, ut videre est in Ichnographia urbis Hirsfoliana, anno 1547. perfecta, scalpro excusa 1552.





## CAPUT XIV.

*De sacris Curionibus, & Præpositis VIENNENSIS  
Ecclesie.*

**V**eteris VIENNÆ templis subnecto ejus sacros Curiones, de quibus certa notitia ad me pervenit, non vero ut LAZIUS eosdem recenset; quamvis minus erret, quam ei a multis imputetur, & qui etiam in erroribus suis lumen veritati inveniendæ præbet; ut ex Clarissimo CALLESIO didici.

Anno 1147. Chronicon Zwetlense Parochum urbis nominat EBERHARDUM, sub quo Ecclesia S. STEPHANI dedicata est. Ejusdem mentio fit in literis HENRICI Ducis datis 1150. sub nomine EBERHARDI DE WINE, inter testes Ecclesiasticos.

Anno 1158. HENRICUS DUX in literis foundationis Scotorum meminit HERBERGERI Parochi VIENNENSIS, quem GREGORIUM HANSIZIUS compellat.

Anno 1214. ex literis MANEGOLDI Episcopi Passav. Apud Abbatem LINKIUM in suis Annal. Zwetl. VIENNÆ Plebanus legitur SIGHARDUS Canon. Passav.



Anno 1251. VIENNÆ Curio LEOPOLDUS. *Chron. Austr.*

Anno 1252. deponitur LEOPOLDUS VIENNÆ Curio, eique subrogatur GERARDUS. *Chron. Austr.* ad hunc annum. Mortuus hic est Anno 1271. ut docet *Chronicon Zwetlense supra laudatum.* Inde erroris convincitur LAZIUS & HUNDIUS, qui scribunt PETRUM, dein Episcopum Pataviensem, Paroecum VIENNÆ fuisse, & quidem ante annum 1266; in literis quippe OTTONIS Pataviensis Antistitis datis Anno 1261. & relatis ab HANSIZIO T. I. pag. 400. GERARDUS, de quo paulo ante, Plebanus de VIENNA nominatur: mortuus vero est anno primum 1271.

Huic succedit BERNARDUS PRAMBACH, factus Pataviensis Præsul Anno 1285. Vide HANSIZIUM T. I. pag. 439.

Anno 1295. Mortuus GOTFRIDUS Plebanus VIENNÆ, Protonotarius ALBERTI Ducis, sepultus in Capitulo ad S. CRUCEM. V. HANSIZIUM T. I. p. 443. & *Chron. Austr.* ad hunc annum.

Anno 1308. Curio VIENNENSIS legitur ALBERTUS e Ducibus Saxonæ, subin Antistes Passaviensis Anno 1320. HANSIZIUS T. I. pag. 452.

Anno 1348. Parochus VIENNENSIS erat ALBERTUS C. DE HOCHENBERG. Vide Chartam WOLFGANGI ZYPH, apud DUELLIUM in *Historia Ord. Teuton.* p. 70.

Ulti-



Ultimus ante Præpósitos VIENNÆ Parochus ex  
suis ad Pontificem literis II. Idus Decembris Anno 1359.  
datis, dignoscitur LEOPOLDUS SAXNGANGER. Tabul.  
Ecclesiæ ad S. STEPHANI.

Anno 1365. RUDOLPHUS IV. Archidux AUSTRIÆ,  
qualem se primus in literis scribit, *Cleri pater, & divini  
cultus promotor indefessus*, ut eum HASELBACHIUS lau-  
dat, obtenta ab URBANO V. summo Pontifice venia,  
literis Avenione anno priore Non. Aug. datis, 16. Mart.  
quæ erat III. *Dominica Quadragesimæ*, Collegium Canoni-  
corum ex aulæ facello, propter ejus angustias, simul cum  
Titulo OO. SS. ad novam S. STEPHANI Basilicam trans-  
fert. Præpositum *eines gefürsteten Probsts* & supremi  
AUSTRIÆ Cancellarii nomine ornat, eundemque perpe-  
tuum Universitatis, quatuor abhinc diebus a se institutæ,  
Cancellarium declarat. Id, quod URBANUS V. literis  
XIV. Cal. Julii datis ratum habuit. Idem Pontifex lite-  
ris Non. Aug. 1364. ad Episcopum Gurcensem, &  
Lavantinum, & ad Abbatem Monasterii Scotorum datis  
ordinat; ut dictus Præpositus *baculo pastorali, aliisque  
Pontificalibus uti insignibus, & ornamentis possit*; ut,  
quo ad ea, quæ curam animarum spectant, subjectus  
quidem deinceps etiam sit Dioecesano Episcopo, cetero-  
quin tum ipse, tum Canonici omnes cum Ecclesia ipsa  
Collegiata ab omni Archi - Episcopi Salisburgensis &  
Episcopi Passaviensis jurisdictione eximantur, nec alteri  
cui-



cuipiam, nisi summo Pontifici immediate subiecti sint. Hæc ex Tabulario Capit. Cath. Ecclesiæ Vienn. S. STEPHANI, & STEYERERI Comment. ad vitam ALBERTI II. c. 3. p. 25. & in Addit. c. III. a col. 488. præcipue col. 506. & col. 514.

## C A T A L O G U S

*Præpositorum VIENNENSIVM secundum documenta Academica, & Capituli ad S. STEPHANUM, ac Commentarios ANTONII STEYERERI constitutus, Conspectui Hist. Vienn. ad calcem insertus: adjectis nonnullis, aut emendatis ex Histor. Cancellariorum Univ. Vienn. edita Anno 1729.*

### I.

**J**OANNES MAYERHOFER, anno 1365. XII. Cal. April. quinto a fundatione die a RUDOLPHO Duce ad Præpositi dignitatem vocatus, dein anno 1376. ad Infulas Gurcenses in Carinthiam translatus. Obiit 1402. 30. Januarii. *Liber statut. Et Necr. ad S. STEPHANUM*

### II.

BERTHOLDUS DE WECHING, Art. Mag. creatus Præpositus anno 1376. factus Episcopus Frisingensis anno 1381. Obiit anno 1417. Rectus 1410. VII. Id.



Id. Sept. ut in Nocr. MS. Eccl. ad S. STEPHANUM, & in ejus tumulo Claustro-Neob. legitur.

## III.

GEORGIUS e Baronibus LIECHTENSTEINIIS de Nicolspurgo appellatis, creat. Præposit. anno 1381. translatus ad Infulam Tridentinam anno 1390. renuntiatus S. R. E. Cardinalis 1411. Obiit anno 1420.

## IV.

ANTONIUS, unde oriundus, non constat. Nominatus & installatus anno 1390. præfuit annis 16. Obiit anno 1406. 9. Septembr.

## V.

WILHELMUS TURSO, seu TURS, Nobili AUSTRIÆ genere ortus, creatus Præposit. anno 1406. Obiit anno 1439. in Vigilia S. Thomæ Apost.

## VI.

CONRADUS ZEIDELER, creat. Præposit. Anno 1440. Obiit Anno 1442. Domin. Palmar.

## VII.

ALEXANDER DUX Massoviæ, FRIDERICI III. Cæsaris avunculus, S. R. E. Cardinalis, Patriarcha Aquile-  
*Notit. Vindob.*                      O                      jen-



jenfis, Tridentinæ ac Curiensis Ecclesiarum Administrator; renuntiatus est, nominante FRIDERICO Cæsare, Præposit. S. STEPHANI VIENNÆ a Synodo Basileensi anno 1442. Obiit (teste sepulchrali lapide) 2. Junii anno 1444. in D. STEPHANI Ecclesia VIENNÆ sepultus ad aram, unde Eucharistia ad infirmos defertur.

## VIII.

ALBERTUS Comes de SCHAUMBURG, Canonicus Pataviensis, qui licet decimum quartum duntaxat ætatis annum ageret, a FRIDERICO Cæsare, tutorio LADISLAI nomine AUSTRIAM administrante, Præposit. Anno 1444. nominatus, & anno sequenti a Patribus in synodo Basileensi congregatis confirmatus, ut expresse habet Bulla eorundem Patrum in Tabul. Capit. Vienn. Eædem Tabulæ referunt, eundem ALBERTUM Præposit. Anno 1460. Papiam studiorum causa profectum. Præfuit Præposit. ad annum usque 1471. Abinde sex annis Præposituram vacasse Acta Facult. Philosoph. diserte testantur. Quod quidem exinde evenisse conjicio, quod jam tunc de transferendis Præpositi redivisibus ad Mensam Episcopalem FRIDERICUS Cæsar cum Pontifice tractaret.

## IX.

JOANNES ALEMANNUS vulgo, Wratislaviensis, Archi-Episcopus Strigoniensis, renuntiatus Administrator  
Præ-



Præposituræ Anno 1477. quod munus gessit usque ad annum 1480. Cancellarii autem officium usque ad annum 1482. ut clare est colligere ex iis documentis, quæ ad Annum 1480. & 1484. Conspectui inserta sunt: Anno quippe 1482. ad Salisburgenses Infulas transiit, mortuus 1489. 15. Decembris. *Histor. Cancell.*

## X.

THOMAS DE CILIA creatus & installatus Præpositus ad S. STEPHANUM Anno 1480, eodem scilicet anno, quo Ecclesia D. STEPHANI in sedem Episcopalem a FRIDERICO Cæsare erecta, & constituta est. Primus igitur fuit Præp. Eccl. Cath. Vienn.; quamvis Cancellarii munere primum fungi cœperit Anno 1484. Translatus est ad Infulam Constantiensem Anno 1491. Obiit anno 1496. 20. April. *Histor. Canc.*

## XI.

VIRGILIUS CANTZLER ex Salisburga. Creatus Præposit. Anno 1491. Dominica post festum S. ELISABETHÆ. Obiit anno 1502.

## XII

JUSTUS KASMAN, fororius JOAN. CUSPINIANI, nullo literario gradu insignis, Canonicus tamen ad S. STEPHANUM; creatus Præpositus Anno 1502. Obiit anno 1510.



## XIII

JOANNES BUSCH SS. Theolog. Doctor; MAXIMILIANO Imp. a capella Aulica (LAZIUS) creat. Præposit. Anno 1510. Obiit Anno 1516.

## XIV.

PAULUS AB OBERSTEIN, J. U. Doctor, MAXIMILIANO Cæsari a secretis, creat. Præposit. anno 1516. præfuit annis octo, & viginti. Obiit Anno 1544.

## XV.

JOANNES ROSINUS, Instructor Regiorum Liberiorum FERDINANDI I. Orator celebris, Poeta Laureatus, creatus Præposit. anno 1544. Obiit anno 1545.

## XVI.

JOANNES SAUER, Theolog. Doctor, FERDINANDI Regis Encomiastes aulicus (LAZIUS) creatus Præposit. Anno 1545. Obiit Anno 1553.

## XVII.

MARTINUS BONDENARIUS, celebris Jurisconsultus, & Professor, ex Italia VIENNAM a FERDINANDO I. accersitus: creatus Præposit. Vienn. Anno 1553; cum simul esset Præpositus Ardeacensis. Obiit 17. Septembr. anno 1556.

## XVIII.



## XVIII.

MATHIAS WERTHWEIN, Pforzheimensis, Theol. Doctor. Can. ad S. STEPHANUM (*Histor. Canc.*). Creatus Præpositus Anno 1556. Resignavit anno 1569. In Consp. Hist. Univ. P. III. pag. 13. dicitur hoc anno mortuus.

## XIX.

MICHAEL ECCIUS, Theolog. Doctor, creat. Præposit. Anno 1569. Obiit Anno 1576. 2. Octobris sepultus. *Histor. Canc.*

## XX.

MELCHIOR KLESELIUS, Vienn. Art. Mag. Theolog. Baccalaureus, Præposit. Vienn. Anno 1579. Episcopus NEOSTADIENSIS anno 1588. VIENNENSIS Ecclesiæ Administrator Anno 1598. Episcopus 1602. Presbyter Cardinalis S. MARIE DE PACE Anno 1616. Obiit Neostadii 17. Septembris Anno 1630.

## XXI.

CHRISTIANUS LAURENTIUS OERN AB ARUP, Datus, Ecclesiæ Vienn. Decanus Anno 1620. Præpositus nominatus Anno 1630. sequenti confirmatus. Obiit 12. Martii Anno 1636.



## XXII.

TOBIAS SCHWAB, Vienn. J. U. Doctor, Præposit.  
Vienn. Anno 1636. Obiit 1. Febr. Anno 1640.

## XXIII.

JOANNES AUGUSTINUS ZWERGER, Vienn. J. U.  
Doctor, creat. Præposit. Anno 1640. Obiit Anno  
1648. 4. Sept. Kierenbergæ. *Histor. Canc.*

## XXIV.

SEBASTIANUS ZWIRSCHLAG, Ducumburg. Art.  
& Theol. Doctor, factus Præposit. Vienn. ad S. STE-  
PHANUM Anno 1648. Obiit Anno 1665. 18. Sept.  
*Histor. Canc.*

## XXV.

LAURENTIUS AIDINGER, Bojus, AA. & Theo-  
logiæ Doctor, Curatus ad S. STEPHANUM, LEOPOLDI  
I. Instructor, dein Canonicus. Anno 1665. Præposit.  
Viennensis. Ad Episcopatum Neostadiensem promo-  
tus Anno 1667. Obiit 23. Julii Anno 1669.

## XXVI.

PETRUS VAUTHIER, Brundrutanus AA. & Theo-  
logiæ Doctor, Præpositus Vienn. Anno 1667. Obiit  
4. Septembris Anno 1683.

## XXVII.



## XXVII.

JOANNES BAPTISTA MAYR, Tyrolensis, AA. & Theologiæ Doctor, creat. Præposit. Anno 1687. Obiit 8. Martii Anno 1699.

## XXVIII.

HERMANUS CLAUDIUS KLÖKER, Vienn. Jur. Utr. Doctor. Præpositus Vienn. Anno 1699. Obiit 12. April. Anno 1708.

## XXIX.

JOSEPHUS HENRICUS BRAITENBÜCHER, VIENNÆ natus Anno 1676. 14. Aprilis. AA. & Theologiæ Doctor, creatus Præpositus ad S. STEPHANUM Anno 1708. Episcopus Antigonienfis & Suffraganeus VIENNENSIS Anno 1728. 16. Maji, die Pentecostes consecratus. Obiit 24. Februar. Anno 1749.

## XXX.

FRANCISCUS ANTONIUS GUSMAN, Vienn. Art. & Theologiæ Doctor, Canonicus ad S. STEPHANUM, Rector Magnificus Anno 1722. Creatus Præpositus anno 1749. 15. Maji. Obiit 5. Augusti Anno 1752.

## XXXI.

ANTONIUS FRANCISCUS XAVER. MÄRNER, Feldkirchensis. AA. lib. & Theolog. Doctor, Canonicus



CUS ad S. STEPHANUM anno 1738. Scholaſticus (ut vocant) Anno 1743. Epifcopus Chryſopolitanus confecratus 26. Maji 1748. Suffraganeus VIENNENSIS, Vicarius Generalis & Officialis, anno 1749. Creatus Præpoſitus anno 1752. 7. Septembris. Hujus eximias animi dotes, præclara virtutum exempla, & labores Apoſtolicos læti fuſpicimus.

---

## C A P U T XV.

*De Templis, & Sacellis, quæ fere omnia hodie dum publico VIENNENSIVM accessui patent.*

---

### P A R O E C I Æ.

**M**etropolitana Divi STEPHANI Basilica condita primum est ab HENRICO JASOMIRGOTT, primo AUSTRIÆ Duce, & quidem in honorem S. STEPHANI Levitæ, & Martyris.

Demonstrat hoc STEYERERUS in Addit. ad Histor. ALBERTI II. Col. 282; & patet ex omnibus documentis ante RUDOLPHUM IV. editis, & a me sparsim adductis: nec non ex ipsius RUDOLPHI literis usque ad annum 1365, in quibus duntaxat S. STEPHANI nomen Ecclesiæ huic tribuitur.



RUDOLPHUS IV. Anno 1356. antequam gubernacula caperet, vivo adhuc patre, Sacellum novum in aula condidit sub titulo Sanctorum omnium, ibidemque Præpositum cum 24. Canonicis fundavit. Anno 1359. RUDOLPHUS jam Dux, templum S. STEPHANI de novo excitat, & Anno 1365. translatis eo ex aula Præposito, & Canonicis, nomen quoque OO. SS. transfert: post aliquot tamen annos S. STEPHANI nomen iterum prævaluit. V. STEYERERUM cit. & P. TILLMETZIIUM *in opusculo de templo, & turri S. STEPHANI.*

*Nota:* Aram a choro dictam, stetisse olim ad ingressum Sacrarii, ut in aliis collegiatis assolet, eamque Sancti MARCI titulum habuisse, donec excitata fuisset nova ara major ad finem Sacrarii per Celsissimum Episcopum PHILIPPUM FRIDERICUM e Comitibus DE BREUNER, quam in honorem S. STEPHANI Martyris, & Omnium Sanctorum Anno 1647. consecravit Dominica IV. post Pascha. Tum altera Sanctorum omnium quæ eo loco erat, ad Ecclesiam Xenodochii civici, altera vero S. MARCI ad eum locum, in quo nunc S. JOSEPHI altare est, translata fuit.

Eidem Ecclesiæ FRIDERICUS Pacificus Imperator, Anno 1468, Episcopi exempti honorem impetravit, primusque LEOPOLDUS a SPAUER anno 1480. constitutus est. CAROLUS VI. Imp. Metropolitanus jura obtinuit anno 1723. pro SIGISMUNDO e Comitibus de KOLLO-



nics, ejusque successoribus. Subjectos Episcopos numerat duos, NEOSTADIENSEM, & Officiale, ut vocant, VIENNENSEM. Decernente FERDINANDO II. Imp. Anno 1631. 2da Augusti S. R. I. Principis dignitatem VIENNENSI Cathedrali primus intulit ANTONIUS WOLFFRATH urbis nostrae Episcopus, Abbas antea Hilariensis, ac subinde Cremifanensis. Dignitas haec consentiente Imperio collata; unde praeter Imperatorem ANSELMUS CASIMIRUS Elector Moguntinus Decreto subscriptus est, cui & bulla aurea appensa, ut ipse conspexi.

Canonicos Ecclesia S. STEPHANI nunc 14. censet, quos inter quatuor mytra decori: Decanus, Custos, Cantor, Scholasticus. Praepositus inter Canonicos locum non obtinet; mytra tamen, semperque Universitatis Cancellarii, ordinarie item Vicarii Generalis, Officialis, & Suffraganei munere fulget.

Templum, ut vocant, SCOTORUM struxit anno 1155. in honorem B. V. & S. GREGORII Magni, HENRICUS JASOMIRGOTT Religiosis S. BENEDICTI, iisque Hybernis tantum, ut in primis foundationis literis, aut verius Scotis, ut in secundis legitur. Eisdem animarum curam impetravit Anno 1158. Modernum templum assurgere coepit Anno 1590.

Templum S. MICHAELIS a Vidua fundatum jam stetit, & quidem ut Paroecia, anno 1276. Parochialem enim S. MICHAELIS dicto anno incendio vastatam scribit  
Chro-



Chronicon Australe. Ampliari cœptum a RUDOLPHO III. & OTTONE AUSTRIÆ Ducibus: ab ALBERTO V. Anno 1416. perfectum est. A FERDINANDO II. Imp. 1626. traditum Clericis Regularibus Congregationis S. PAULI, vulgo Barnabitis.

Templum S. CLARÆ fundatum a RUDOLPHO III. & ejus conjuge BLANCA, Virginibus ejus Ordinis e nobili solum stirpe admittis. Constat ex foundationis literis datis Anno 1305. in festo S. MICHAELIS, quæ habentur in Tab. Coll. Vienn. Hæ dum metu obsidionis Turcicæ anno 1529. Villacum in Carinthiam se recepissent, paucis remanentibus, quæ militibus locum cedere debuerant, Xenodochii civici a Turcis destructi incolis templum cum domo cessit anno sequente, & eorum Parœciale constitutum est; unde factum, ut ad prioris Ecclesiæ, quæ in Xenodochio erat, memoriam, Omnium Sanctorum, inter quos tamen S. CLARA distinctius effulget, aram majorem acciperet.

Hospitale Cæsareum initium debet Hispano cuidam, DON DIDACO DE SARAVA, ad Annum 1543: incrementum Grinzingeri Vinicolæ LEOPOLDO WEINBERGER: denique eum, quem ultimo habuit, statum FERDINANDO I. Cæsari Augusto, qui supremam MAXIMILIANI voluntatem impleturus Anno 1554, eam, quam ex parte hodie dū videmus, fabricam erexit, quare & Cæsarei Hospitalis nomen accepit. Stetit in



hoc olim Sacellum in memoriam Passionis Dominicæ, a primo fundatore structum; sed FERDINANDUS I. Templum S. CATHARINÆ V. & M. quod pene e fundamentis resuscitavit, a PP. Conventualibus impetratum, eidem Parœciæ loco contribuit; donec Xenodochium hoc Anno 1754. extra urbem ad viam cursorum translatum est. Tum enim prædictum S. CATHARINÆ templum ad PP. Conventuales rediit, quod iisdem LEOPOLDUS Gloriosus Anno 1224. primitus condidit.

Templum Beatissimæ VIRGINIS in Litore, nunc ad Gradus, hodie Parœcia est in modico districtu Diœcesis Passaviensis, cujus Episcopum olim tota urbs pastorem agnovit. Structum est anno 882, ut cap. VII. ad hunc annum notavi. Anno 1154. ampliatum, & a CHUNRADO Episcopo Pataviensi dedicatum. Anno 1158, Benedictinis Scotis in partem foundationis ab HENRICO JASOMIRGOTT traditur, consentiente CHUNRADO Pataviensi Antistite, Ducis fratre, ea, ut opinor, de causa, quod jam nova S. STEPHANI Parœcia condita fuerit. Idem templum Passavienses Præsules iterum recepere anno 1302. a Benedictinis, in vicem traditi eis districtus ad S. UDALRICUM extra muros, cum animarum cura. Ita me Reverendissimus D. NICOLAUS GRUEBER Passaviensis Consistorii Director edocuit.

*TEMPLA CLERICORUM.*

S. RUPERTI, in urbe nostra, quantum constat, antiquissimum, sub annum 784. ædificatum; ex ruinoso, ac prope collapsò GEORGII ab AUERSPERG liberali manu novum surrexit anno 1436.

Ecclesia S. PETRI antiquitate priori proxima, circa annum 792. CAROLO Magno Imp. initium debet. Paroecialis erat anno 1276. ut ad hunc annum notavi. Anno 1702. augustiorem formam induere cœpit. Anno 1756. sacerdotum Collegio ornata est ex supremis tabulis Viri Illustris JOACHIMI SCHWANDNERI, aulæ Confiliarii, & ut vocant, Referendarii.

Ecclesiam pone curiam urbanam, a principio in memoriam B. V. Desponsatæ condidere OTTO, & HAYMO DE NEUBURG, fratres, circa annum 1282; unde hoc templum OTTONIS, & HAYMONIS olim compellatum fuit a Fundatoribus suis. LAZIUS *Rer. Vienn. L. 4. C. 2.*

De Ecclesia S. MAGDALENÆ in Divi STEPHANI cœmeterio nihil investigare potui, quam Anno 1502. jam patuisse.

Sacellum vero huic Ecclesiæ subjectum, olim S. VIRGILII, nunc S. HELENÆ patrociniò gaudens, jam Anno 1305. & 1307. memoratur: ut priori capite dictum.



Ecclesia S. IVONIS in platea Scholarium, vulgo SCHULERSTRASS verosimillime condita est anno 1397, quo *Magister COLOMANNUS KOLB Universitatis Rector, domum suam, Juristarum ædibus vicinam tradidit in usum duorum Magistrorum, & unius Capellani.* Ita refert *Conspectus Hist. Univerf. Vienn. P. I. pag. 65.*

Templum SSS. TRINITATIS exordia habuit a prædivite VIENNENSI Cive, ZINCKH nomine, ante Annum 1326, ferentibus subsidium AUSTRIÆ Ducibus. LAZIUS *Rer. Vienn. L. 3. c. 6. & L. 4. c. 3.* Anno 1701. per LEOPOLDUM Imperatorem Patres Oratorii S. PHILIPPI NERII impetravere.

### TEMPLA RELIGIOSORUM

Ecclesia Equitum Teutonicorum sub annum 1200. constructa, Anno 1395. reparata, ac S. ELISABETHÆ dedicata est Dominica post S. ELISABETH. Vide DUELLIUM P. III. *Hist. Ord. Teut. pag. 42.*

Templum S. JOANNIS BAPTISTÆ Equitum Melitensium ædificatum pariter circa annum 1200.

Templum S. DOROTHEÆ condidit ALBERTUS II. Austriæ Dux Anno 1350. Clericis Sæcularibus. Ultimus beneficii possessor ANDREAS PLANCK, sacer Curio in GARS, ALBERTI V. Instructor & Cancellarius ab eodem impetrat, ut Præpositus & Canonorum Regularium



larium S. AUGUSTINI Collegium ibidem constituitur, quod Anno 1414. effectum. Anno 1705. novum templum surgere cœpit.

Ecclesia Patrum Capucinatorum sub titulo S. MARIÆ Angelorum, fundata quidem a MATHIA Imp. ejusque consorte ANNA Tyrolensi; sed a FERDINANDO II. Imp. inchoata primum Anno 1622. post decennium vero perfecta est, cum Crypta Austriacorum Principum Cineribus destinata. Crypta hæc, Cæsareo Sacello olim subjecta, Anno 1703. extensa, ac Crucifixo Servatori dicata fuit. Huic novum Mausolæum, Panthei instar, MARIA THERESIA Augusta adjecit anno 1753.

Templum aulicum in honorem S. AUGUSTINI excitavit FRIDERICUS III. Imperat. 1327; ALBERTUS II. & OTTO fratres continuarunt, & perfecerunt Anno 1337. Huc ab iisdem Ducibus, ex Eremitorio S. JOANNIS IN WERD, quod erat eo loco, quem nunc Religiosi, a cura ægrorum fratres de Misericordia dicti, occupant, traduæi sunt Eremitæ calceati S. AUGUSTINI. His sub Imp. FERDINANDO II. succedere Eremitæ discalceati ejusdem Ordinis Anno 1630.

Ecclesia S. HIERONYMI sæculo XIV. fundata a Magistratu VIENNENSI sororibus S. MAGDALENÆ de pœnitentia, quibus incumberat horas Canonicas Germanica lingua recitare, publicas ac privatas peccatrices ad pœnitentiam reverti cupientes suscipere, spiritu & virtutibus



tutibus enutrire, *sub Clausura.* Monasterium & Ecclesiam auxit CONRADUS HÖLZLER Consul urbis Anno 1450. Ecclesia noviter ampliata, 14. April 1476. ab ALBERTO Suffraganeo Passaviensi consecrata est.

Sororibus subinde fere omnibus morte sublatis ipsa tandem loci Superior D. JULIANA KLEBERGERIN 20. Januarii 1553. obiit. Locus cum redditibus ad Magistratum Urbanum, ceu fundatorem recidit; donec agente Archiduce ERNESTO Patribus S. FRANCISCI strictioris Ordinis traditus est Anno 1589. Hæc ex Cosmogr. Austriaco-Franciscana PLACIDI HERZOG.

Templum S. CRUCIS Patribus Conventualibus S. FRANCISCI condere cœpit OTTOCARUS Bohemiæ Rex, circa Annum 1276. BLANCA RUDOLPHI III. AUSTRIÆ Ducis & Bohemiæ Regis conjux in altum eduxit, ELISABETHA FRIDERICI Pulchri Imp. consors perfecit. Anno 1569. templum hoc cum parte Monasterii rabulæ Lutherano cessit, relicto interim Patribus S. CATHARINÆ duntaxat Sacello & Choro; usque dum Lutherani Anno 1620. ejecti sunt.

Ecclesia Patribus Prædicatoribus a LEOPOLDO Glorioso AUSTRIÆ Duce tradita Anno 1226; primitus pro Templariis circa annum 1186. excitata fuit, & subinde B. VIRGINIS Rotundæ nomen tulit. Templum novum iis Patribus condidit FERDINANDUS III. Ungariæ & Bohemiæ Rex Anno 1631. Plura de utroque capite



te præcedenti, narrata sunt. Moderna templi inscriptio sic habet:

DEO. MAG.<sup>NO</sup> MAG.<sup>NÆ</sup> MAT.<sup>RI</sup> ROS.<sup>RY</sup> MARLÆ.  
 DD. DOMIN.<sup>CO</sup> CATHAR.<sup>SEN.</sup> OMN.<sup>BUS</sup> SS. ĒP.<sup>LUM</sup>  
 HOC EXRV<sup>TUM</sup> VRB.<sup>VIII.</sup> P. M. FERD.<sup>II.</sup> IMP. FE.<sup>RD.</sup> III.  
 REGE. REMP. XNĀ GVB.<sup>BUS.</sup>

Templum sanctissimæ VIRGINIS REGINÆ ANGELORUM in foro aulico Patrum de Carmelo, quos calceatos dicunt, erectum est circa Annum 1363. Ab Imperatore FERDINANDO I, summo Pontifice consentiente, una cum Cœnobio Anno 1554. Patribus Societatis JESU traditur, quibus ibidem Collegium fundavit.

Propylæo templi ruinoso, novum e fundamentis, artificio rarum, mole sumptuosum, sua dignum Majestate erigere statuit, voluitque ELEONORA Mantuana, FERDINANDI II. Imp. Vidua, quod post ejus obitum anno 1660. cœptum, anno tercentesimo a prima Ecclesiæ structura, nempe 1663. perfectum est.

*Inscriptio sic habet.*

ANNA ELEONORA AVGVSTA, DEO,  
 REGINÆQVE ANGELORVM POSVIT.  
 A. M. DCLXII.

*Notit. Vindob.*

Q

Pro-



Propylæum hoc 1763. quadringentesimo Templi conditi anno ad omnem decorem instauratum est.

Domicilio prædicto in domum Professorum converso, ac Collegio ad vicinas Academiae aedes 1625. translato, novam huic Ecclesiam sub titulo Beatissimæ VIRGINIS ac Sanctorum IGNATII & FRANCISCI XAVERII e fundamentis suscitavit FERDINANDUS II. Augustus 1627. In fronte Templi legitur:

DEO. VICTORI. TRIUMPHATORI. OPT. MAX.  
TROPHÆUM. HOC. IN. MEMORIAM. B.  
VIRGINIS. MARLÆ.

SS. QVE. IGNATII. ET. FRANCISCI XAVERII.  
FERDINANDUS. II. IMPERATOR.  
STATUIT. M. DC. XXVII.

Ecclesia S. ANNÆ in cognomine platea, olim PIP-  
PINGERSTRASSE, juxta domum peregrinorum exstructa  
est Anno 1415. a D. ELISABETHA WARTHENAUERIN,  
ut tabularium Domus Annææ docet. Reducibus post  
primam Turcarum obsidionem e Carinthia S. CLARÆ  
Virginibus peregrinorum Domus cum S. ANNÆ Sacello  
contributa fuit, onere suscipiendi peregrinos in Xenodo-  
chium civicum, quod earum Monasterium occuparat,  
translato. Sanctimonialibus subinde circa 1552. emor-  
tuis,



tuis, Equites S. STEPHANI locum tenuere, qui tamen 1582. per RUDOLPHUM II. Imperatorem Collegio Societatis JESU transcriptus est. Tandem Anno 1627. obtigit domui Probationis S. J. a FERDINANDO II. Imp. ibidem fundatæ.

Ecclesia S. BARBARÆ Cæsarei S. J. Convictorum Collegii. Surrexit Anno 1652.

Templum S. CAJETANI PP. Theatinis adparatum est Anno 1703. per Cardinalem CHRISTIANUM AUGUSTUM, Principem Saxo-Citianum.

### *TEMPLA SACRARUM VIRGINUM.*

Ecclesiam S. MARIÆ Angelorum cum adfiteo regio D. CLARÆ Monasterio fundavit Anno 1582. ELISABETHA Archidux AUSTRIÆ, CAROLI IX. Galliarum Regis vidua, primis Virginibus Monachio accersitis.

Ecclesia S. NICOLAI in Platea Cantorum constructa est Anno 1275, ab HENRICO S. Crucis Abbate & PALTRAMO Consule VIENNENSI, pro Sanctimonialibus Cisterciensibus. His sublatis, supremo Magistro Ordinis Militaris Sancti GEORGII cessit Anno 1481. Sub prima a Turcis obsidione, Anno 1529, & aliquanto deinceps tempore usui fuit Canonissis S. MAGDALENÆ, quarum monasterium in suburbio ad Alfam bellico furore periit. His Anno 1533. ad S. LAURENTIUM translatis, obvenit 1540 Collegio pau-



perum Studiosorum sub cura Episcopi VIENNENSIS.  
*Vide Conspect. Histor. Univers. Vienn. P. II. p. 147.*  
 Anno 1547. Patres Franciscani huc immigravere. An-  
 no 1625. traditur Vestalibus S. CLARÆ, Pofonio ad-  
 vocatis, agente ELEONORA FERDINANDI II. Imperat.  
 secunda Conjuge.

Ecclesia S. JOSEPHI Virginum de Monte Carmelo  
 Fundatricem nacta est Anno 1633. ELEONORAM FER-  
 DINANDI II. Imp. conjugem secundam. Primitiæ Virginum  
 Genua partim, partim ex Imperio sunt evocatæ, binæ  
 utrinque.

Templum S. JACOBI erexit LEOPOLDUS Largus  
 AUSTRIÆ Marchio Anno 1131. vel 1138. Adjectum  
 huic Monasterium Virginum Anno 1190. sub LEOPOL-  
 DO Virtuoso, opem conferentibus nobilissimis Carinthiæ  
 Matronis e Comitibus de CULM, RAPPACH, & PAAR,  
 Regulam S. AUGUSTINI ibidem amplexis.

Ecclesia S. LAURENTII Anno 1337. excitata pri-  
 mitus ab OTTONE AUSTRIÆ Duce S. DOMINICI Virgi-  
 nibus: his ex suburbio filvulæ Pratter vicino subrogatæ  
 Canonissæ S. AUGUSTINI 1445. INSPRUGGER *in sua*  
*Austria.*

Ædes sacra a Porta Cœli nuncupata Anno 1267.  
 per GERARDUM Curionem sacrum VIENNENSEM structa  
 est in honorem S. CATHARINÆ Dominabus Reclusis.  
 His Anno 1331, aucto ab AGNETE, ANDRÆ III.  
 Hun-



Hung. Regis Conjuge, & ALBERTI I. filia, templo, & S. AGNETI simul nuncupato, substitutæ sunt Virgines Præmonstratenses ex Hungarica natione. Iſtis peste ſublatis, ſucceſſere Anno 1586 Canonice Regulares S. AUGUSTINI, ex S. JACOBI Parthenone adductæ. *Tabularium Aſceterii.*

Eccleſia Virginum e Societate S. URSULÆ ædificata eſt Anno 1675. Harum Virginum colonia Leodio accerſita eſt Anno 1660.

### S A C E L L A.

De Sacellis aulæ multa forent memoratu digniſſima: ego ea ſolum adfero, quæ certis documentis accepi, & quidem complura ſingulari humanitate Revdmi. D. FRANCISCI BRISELANCE ſacri Aulæ Cæſareæ Curionis.

De Sacello Curiaæ Ducalis antiquæ in foro aulico, nihil admodum innotuit, quam fuiſſe; ut conſtat ex literis ALBERTI III. ſupra relatis, quibus Patribus de Carmelo donat aulam antiquam cum *Capella* in ea exiſtente, & ex ſententia ante fores *Capellæ Regiæ* Anno 1265. promulgata in favorem Abbatis Scotorum, ſacræ jurisdiſtionis cauſa. V. Doctiſſimum BERN. PEZIUM Cod. Dipl. P. II. pag. 112.

In nova aula, ſeu novo, ut vocabatur, caſtro Sacellum in honorem B. V. & S. JOANNIS BAPTISTÆ fundavit ALBERTUS I. Imp.; ut ipſe teſtatur in literis Anno



1301. datis, quas legere est apud citatum BERN. PEZ. pag. 198. Eidem Sacello varias immunitates, & privilegia 1298. impertit memoratus Cæsar, & filius ejus RUDOLPHUS, quæ invenies apud eundem PEZIUM Cod. Dipl. P. II. pag. 194. & 198.

Anno 1356. vivo adhuc & gubernante ALBERTO II. patre suo, in turri juxta portam Widmariam RUDOLPHUS IV. Archidux, conclave illud, in quo infantiam egerat ac pueritiam in Sacellum convertit, & quidem in honorem SSS. TRINITATIS, BEATÆ VIRGINIS, & OMNIUM SANCTORUM; ut habetur in utriusque Ducis literis anno 1356. datis, & relatis a STEYERERO in Addit. ad Hiflor. ALBERTI II. col. 258. & 259.

In hoc Sacello jam dedicato, idem RUDOLPHUS anno 1359 fundavit Præpositum ac 24. Canonicos cum 26. Sacellanis Presbyteris, concedente INNOCENTIO VI. Pontifice, literis II. Cal. Jan. priori anno datis, quibus etiam voluit, ut Canonici *in memoriam Passionis Dominicæ, & in signum divini amoris, albedinis innocentiae, quæ in eis existant, superiorem & inferiorem tunicam, & cappam rubri coloris, quarum vestis superior sit cruce aurea insignita, & camisiam albam, Rochetum nuncupatam, ac super hujusmodi superiorem tunicam portare debeant.* BERN. PEZIUS Cod. Dipl. P. III. p. 44. Canonici cum Præposito suo, & Omnium Sanctorum titulo ad S. STEPHANI Basilicam anno 1365. ab eodem RUDOLPHO translati sunt.

De



De alio, novo ut videtur, aulæ Sacello ab ALBERTO V. Archiduce ædificato suis in literis nos edocet JOANNES DE CAPELLIS, Cremonensis, Capellanus & Notarius Cardinalis BRANDA, Apostolicæ sedis Legati, in quibus testatur anno 1425. 14. Januarii *Capellam in castro Illustris Principis Domini ALBERTI V. Ducis AUSTRIÆ WIENNÆ constitutam sub vocabulo B. Mariæ Virginis, & S. HELISABET*; ab eodem Cardinali consecratam esse. Vide BERN. PEZIUM Cod. Dipl. P. III. pag. 148.

Modernum aulæ Sacellum RUDOLPHINO substitutum videtur; tribuit enim JOANNES S. Angeli Diaconus Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus 13. Martii 1448. indulgentias pro *Capella* novissime in Castro VIENNENSI per Serenissimum Principem D. FRIDERICUM Romanorum Regem erecta, & in honorem SSS. TRINITATIS ac OO. SS. consecranda. Autographum extat in Tabulario Capellæ aulicæ.

Idem Sacellum 28. Aprilis 1449. *ad laudem & honorem SSS. Trinitatis, B. Virginis, OO. Angelorum, S. Joannis Baptistæ, OO. Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarum, & generaliter OO. SS.* consecravit JOANNES Episcopus Gurcensis, statuitque ejus Dedicationem singulis annis Dominica festum S. MARGARITÆ V. immediate præcedenti deinceps, ut hodie fit, celebrandam. Ita habetur in Tabulario Sacelli aulici.

Sacel-



Sacellum hoc anno 1748. MARIA THERESIA Augusta ad antiquæ Architectonices normam instauravit, & ornavit.

Sacellum, quod Cameræ appellant, in honorem S. JOSEPHI. MARIA THERESIA Augusta 1757. resuscitavit.

Sacellum S. XAVERII in aula, ELEONORÆ MAGDALENÆ THERESIÆ Imperatrici initium debet.

Sacellum S. CATHARINÆ in curia Zwetlenfi struxit UDALRICUS Canonicus Passaviensis LEOPOLDO Glorioso ab epistolis: Anno 1214. dedicatum est, & exemptum a Parœciæ VIENNENSIS juribus. CALLES. P. II. p. 190.

Sacellum S. ANDRÆ in Curia Archi - Episcopali idem, qui aulam Episcopalem, condidit Celsissimus Princeps & VIENNENSIS Antistes ANTONIUS WOLFFRATH: consecravit PHILIPP. FRIDER. Episcopus Vienn. Anno 1643.

*Inscriptio lapidis super portam sacelli sic habet:*

SACELLUM  
DIVIS ANDRÆ APOSTOLO, & ACHATIO  
SOCIISQVE MARTYRIBVS JAM OLIM HIC  
TVTELARIBVS ERECTUM, ET DD.  
MDCXXXVIII.

Sacel-



Sacellum OMNIUM SANCTORUM a tergo Domus Teutonicæ in Cœmeterio S. STEPHANI situm, erat olim locus sepulturæ proprius sacerdotibus animarum curæ ad S. STEPHANUM deputatis: hodie Sacellum defunctorum compellatur.

Sacellum in Palatio Comitum JOANNIS MICHAELIS ab ALTHAN, quod situm est in parva platea Dominorum, olim HINTERE SCHENKERSTRASS, ædificatum Anno 1591. a D. JUL. CAMILLO DE MILDENHEIM Consil. ac rei monetariæ Præfecto, consecratum Anno 1592. Dom. I. post Pent. a JOANNE CASPARO Episc. Vienn. in honorem SS. Apost. PETRI & PAULI. Ita Tabula in sacello appensa.

Sacellum S. ANDREÆ perantiquum domus Liechtensteinianæ, in qua Hippodromus Principis, anno 1346. jam stetit Tabularium Liechtensteinianum docet. Fundatum est a LUDOVICO patre, & ALBERTO filio Comitibus DE OETTING, quorum tunc ea domus erat: hæc ut ad Liechtensteinios pervenit, Sacellum instauravit, & denuo dotavit CHRISTOPHORUS DE LIECHTENSTEIN, testibus ejus literis Nikolspurgi exaratis Anno 1503.

Sacellum VIRGINIS IMMACULATÆ in palatio Harrachiano condidit Com. FERD. BON. AB HARRACH, dedicavit ejus frater Celf. Pr. & Episc. Vienn. FRANC. ANTONIUS anno 1703. 22. Apr. quæ erat Dominica II. post Pascha. Tab. Sacelli.

*Notit. Vindob.*

R

In



In palatio Cancellariæ AUSTRIACÆ & Bohemicæ Sacellum sub Patrocínio S. FRANCISCI, & S. THERESIÆ ædificatum est Anno 1754. sumptibus MARIE THERESIÆ Augustæ.

In Aula Gundliana, vulgo GUNDLHOFF, olim GUNDLACHERHAUS, Sacellum S. THOMÆ Apostoli constructum a quibusdam Nobilibus, cognomento STRASSER; unde domus illa antehac STRASSERHAUS compellabatur. Ita LAZIUS. Anno 1609. AUGUSTINUS HAFNER, Prætor VIENNENSIS restauravit, & cultum Divinum ibidem longo tempore intermissum pristinae dignitati restituit.

Sacellum SS. PHILIPPI, & JACOBI in aula Coloniensi conditum a VIENNENSIBUS civibus, GUNDLACHER dictis, qui subinde Strasserianam domum & Sacellum sibi compararunt.

Sacellum S. BARBARÆ in superiori platea Breuneriana, olim BRAIDENSTRASS, excitatum videtur circa annum Domini 1432. ampliatur a Domino MARTINO HAFNER excelsi Regiminis Consiliario Anno 1633.

Sacellum OMNIUM SANCTORUM (ut ingens marmor parieti in cornu epistolæ insertum testatur) domus Thrautsohnianæ in platea Breuneriana inferiori, olim ROTSTRASSEN a SIXTO THRAUTSOHNIO Comite in FALKENSTEIN circa Annum 1590. conditum est. ERNE-

STUS



STUS TRAUTSOHNUS VIENNENSIS Episcopus multis Divorum lipsanis a Saxoniae Electore impetratis, ditavit.

Sacellum TRIUM REGUM in palatio Principum a SCHWARZENBERG, in honorem D. O. M. & B. V. DEIPARÆ, sub invocatione S. ANDRÆ Ap. & S. CATHARINÆ V. & M. a Nobili Viro, D. FERD. WEIDNER DE BILLERBURG ædificatum ac dotatum, per JOANN. CASP. Ep. Vienn. consecratum est Anno 1586. die S. DAMASI Papæ, 11. Dec. Ita lapis Sacelli.

Sacellum B. V. ASSUMPTÆ in aula Mellicensi, ædificatum est a Reverendissimo Abbate SIGISMUNDO TALER Anno 1510. Consecratum Anno 1514. ab Episcopo VIENNENSI GEORGIO SLATKONIA, seu de SCLAVONIA: duæ laterales aræ dicatæ erant, una S. COLOMANNO Martyri, altera S. LEOPOLDO Marchioni. *Ex Tabulario Mellicensi.*

Sacellum S. GEORGII in aula Frisingensi vero simile initium habuit sub FRIDERICO Bellicoso, ab Episcopo Frisingensi. Docent hoc literæ OTTOCARI Regis Anno 1256. V. Id. Junii VIENNÆ datæ CONRADO Episcopo Frisingensi: & clarius ejusdem ad eundem datæ Brunæ Anno 1274. prid. Cal. Januarii, quas vide in Tabulario ejusdem Aulæ.

Sacellum S. NICOLAI in aula Seitzenfi, pertinens ad Carthusiam Mauerbacensem, tempore FRIDERICI



Pulchri Imp. ædificatum primis ex Carthusia Seitzensi advocatis Patribus; unde & domui nomen adhæret.

Sacellum S. BERNARDI in aula Cisterciensium de S. CRUCE jam stetit 1662; hoc enim anno ab Episcopo VIENNENSI, PHILIPPO FRIDERICO e Com. de BREUNER ara major consecrata est: modernum decorem Sacellum induit Anno 1730, sub celeberrimo Abbate ROBERTO.

Sacellum in palatio Principum ESTERHAZY Anno 1698. adparatum a Cels. D. PAULO ANTONIO S. R. I. Principe ESTERHAZY DE GALANTHA, Aurei Vell. Equite, S. C. R. MAJ. consiliario: consecratum ab Eminen- tissimo D. LEOPOLDO Cardinale de KOLLONIZ Archi- Episcopo Strigoniensi Anno 1699. 5. Novembris in honorem S. LEOPOLDI. Ita Tab. Sacelli.

In Curia Provinciæ Sacellum B. V. PRÆSENTATÆ constructum Anno 1660 Statuum AUSTRIÆ sumptibus.

Sacellum defunctorum templo aulico PP. Augusti- nianorum adhærens, primitus conditum in honorem S. GEORGII Martyris ab OTTONE AUSTRIÆ Duce, & Equitibus S. GEORGII de Templois, circa Annum 1337. Consecratum fuit Anno 1341; atque adeo octo annis ante templum aulicum. *Libr. de ort. & progr. ad. Rel. Vienn.*

In hoc ipso templo Sacellum Lauretanum excitavit ELEONORA Mantuana, FERDINANDI II. 2da conjux Anno 1627. Hic asservantur corda Principum AU- STRIACORUM. In



In propylæo Ecclesiæ domus Professorum S. J. a dextris situm est Sacellum IMMACULATÆ VIRGINIS, ubi & Nobilium & civium VIENNENSIVM cœtus suis quique diebus, stata pietatis Marianæ officia exsequitur. Nunc etiam Hungarica Natio divina ibidem peragit.

E regione Sacellum S. LEOPOLDI ab Archiduce LEOPOLDO WILHELMO ædificatum, & Anno 1662. 15. Novembris dedicatum.

In Domo Professorum S. J. versus viam a fabricatoribus arcuum compellatam, Sacellum congregationis Italicæ sub Patrocinio B. VIRGINIS AD NIVES, & S. ROCHI, structum Anno 1635. a P. GUILIELMO LAMORMAINI S. J. Quiescunt hic D. JULII innocentis Martyris Exuviae ab Augusta donatæ, & multis gratiis clarent.

Ad aureum serpentem conclave S. STANISLAI KOSTKA S. J. coli cœptum Anno 1604. Ejus duntaxat cultui addictum & ornatum 1742, a Perillustri Virgine BARBARA CHOLERIN DE MOHRENFELS, quæ subinde etiam Anno 1757. totam domum magnifice instauravit.

Sacellum S. XAVERII Academico S. J. templo annexum originem suam debet impensis Celsissimæ Principis BEATRICIS BENIGNÆ DE PORTIA Anno 1668. Sequenti Anno prima Decembris Ara princeps consecrata est a Celsissimo Antistite Viennensi WILDERICO DE WALDENDORFF.

Sacellum S. ROCHI in armamentario navali.



Sacellum TRIUM REGUM in Cæsareorum armorum ad stationem restionum, vulgo SEILLERSTATT, fabrica Anno 1696. erexit HENRICUS FRANCISCUS Princeps de MANSFELD: instauravit & auxit æterna dignus memoria Princeps JOSEPHUS WENCESLAUS DE LIECHTENSTEIN Anno 1757.

Sacellum SS. PETRI & PAULI, in Monte aureo exstructum a D. PAULO SORBAIT Medicinæ Doctore & Professore Anno 1678, pro pauperum studiosorum contubernio anno 1654. huc translato. Anno dein 1700. impensis Comitis GOTTHARDI a SALABURG ad primam contignationem evectum est; ut & ipse e vicina domo sua sacris in oratorio adesse posset. *Ita Clariff. Jos. HABERMANNUS Med. D.*

Ædiculam S. XAVERII AUF DER DAKEN, nunc BALLGASSEL, construxit anno 1676. ANNA JACOBINA nata Comes de QUESTENBERG, Præposita ad Cœli portam ob visum Sancti ope reparatum. Pertinet ea domus ad eundem hunc Portæ Cœli Parthenonem.

Sacellum S. MARGARETÆ in domo Maroltingeriana fori rusticorum. LAZIUS. Hodie abolitum.

Sacellum ad aureum cervum sub patrocínio B. VIRG. ANNUNCIATÆ instauratum a D. OCTAVIANO DE LUMAGO, Senatore Viennensi Anno 1650.

Sacellum in Prætorio Civitatis, seu Curia Judiciali AGONIÆ CHRISTI sacrum.



Sacellum in Domo Custodiæ feu STOCKHAUS, S. MARTINUM Patronum colit.

Sacellum S. CRUCIS in carceribus capitis reorum, vulgo AMTHAUS, Anno 1723. instauratum, & ab HENRICO JOSEPHO DE BREITENBÜCHER Viennensi Suffraganeo benedictum.

*TEMPLA ET SACELLA SVBVRBIORVM  
VIENNENSIVM.*

*In suburbio Leopoldino.*

Quod olim *der untere Werd*, dein civitas Judæorum, demum S. Leopoldi nuncupatum.

Templum Paroeciale S. LEOPOLDI Anno 1670. in loco abolitæ recens Judæorum Synagogæ constitutum est a LEOPOLDO I. Imp., qui 18. Augusti primum in fundamenta lapidem misit. Anno 1723. a Magistratu VIENNENSI magnificentius strui coeptum, anno 1728. perfectum est.

In Coemeterio remoto, sed ad Paroeciam pertinente, Sacellum S. LAZARI conditum 1732.

In domo Telonaria ad modernum Tabor Sacellum S. CRUCIS Anno 1730. constructum.

Sacellum S. BIRGITTE in cognomine filvula, vel insula, subjectum Parochiæ in LEOPOLDAU; conditum a LEOPOLDO WILHELMO Archiduce, eo loco, & in formam illius tentorii, in quo ipse Anno 1640. sacra  
Di-



Divæ BIRGITTÆ luce orans ab illapso tormenti globo intactus manfit, dum ibidem DORSTENSONIO Sueco, trans Danubium castra metanti, castra opposuiffet.

Ecclesia B. VIRGINIS PP. de Carmelo excalceatorum condita a FERDINANDO II. Imperatore Anno 1622.

Templum S. JOANNIS BAPTISTÆ olim erat Eremitarum S. AUGUSTINI calceatorum, dein Nosocomii a FRIDERICO Pulchro ibidem constituti, demum FF. a Misericordia dictis contributum est, ut docet STEYERERUS in Addit. col. 535. Novam advenientibus Fratibus Ecclesiam ædificavit Anno 1612. Imp. MATHIAS. Obsidione ultima dejectam Reverendissimus D. JOANNES Ordinis Sancti BENEDICTI ad Scotos Abbas, & tum Suffraganeus VIENNENSIS instauravit Anno 1692.

Sacellum S. ANTONII Patavini in domo Correctionis, quæ anno 1673. constructa est. Sic enim habet inscriptio:

IMPERANTE LEOPOLDO

ET

CONSVLE DANIELE LAZARO

SPRINGER S. C. M. C.

DISCIPLINARIVM HOC

S. P. Q. V.

EREXIT

A. M. DC. LXXIII.

Ali-



Alibi legitur: LABORE ET FAME.

In vico Venatorum, olim prato Veneto, ejus loci incolæ Sacellum B. VIRGINI PÖTSCHIENSI tempore pestis anno 1713. condidere, cui & suam a grassante lue incolumitatem adscripsere.

Pone palatium Comitis CZERNIN, Sacellum S. WENCESLAI nationi Bohemicæ, & ejus linguæ gnaris patet.

In æstivali Kolloniziano, ubi novum pauperum contubernium, Sacellum sub Patrocinio S. JOANNIS Eleemofynarii inchoatum anno 1763.

*In suburbio Alutariorum.*

Ecclesia S. MARGARETÆ fundata Anno 1673. ab Imperatore LEOPOLDO & ejus Conjuge MARGARITA. Huic nimium angustæ in moderno loco amplior substituta est anno 1690. eodem LEOPOLDO Cæsare primum lapidem ponente.

*In Erdberg.*

In edito colle visitur templum SS. PETRI & PAULI, quod suo incolæ ipsi ære extruxerunt; ut pietati, devotionique vacare ibidem liceret.

*Ad S. Marcum.*

Ecclesia hujus Sancti Parochialis stetit jam Anno 1440, ut lapis sepulchralis in cœmeterio testatur. Turrim,

*Notit. Vindob.*

S

rim,



rim, quamvis longe majorem antiquitatem ostendet, e fundamentis struxit D. MICHAEL PECK, exterioris VIENNENSIS Senatus membrum, & adjecti Nosocomii Præfectus Anno 1626; ut lapis muro exteriori Ecclesiæ insertus docet. Nosocomium adfitum a privato quopiam Chirurgo initia accepit ante trecentos & amplius annos. Novam & vastam structuram debet Hospitali civico ab Anno 1706.

*In Via Regia.*

Ecclesia S. JOANNIS NEPOMUCENI in ejusdem Nominis magnifico Xenodochio apparatus est anno 1727, quo pauperes ex diversorio Gumpendorfensi ad æstivum Hannoverani Principis palatium, hic antea situm, solenni processu inducti sunt.

Ecclesia S. ELISABETÆ, cognominum Virginum ægris inservientium, ædificata primum a MARIA JOSEPHA RUPE, Coloniensi, ex Græcensi ejusdem Ordinis Parthenone cum quinque aliis VIENNAM advocata. Inundatione labem passa Anno 1743. de novo augustior surrexit piorum liberalitate.

Templum S. NICOLAI in cœmeterio, Parœciæ munia obit; conditum erat a principio Virginibus Ord. Cisterciensium, ante Annum 1319; verum cum Monasterio ruinam traxit tempore oppugnatae a Turcis VIENNÆ Anno 1529. LAZIUS.



Ecclesia SS. SEBASTIANI & ROCHI, Ordinis Eremitarum calceatorum S. P. AUGUSTINI, condita a FERDINANDO III. Anno 1642.

Sacellum Fratrum de Misericordia in domo convalescentium sub Patrocinio S. THERESIAE Anno 1755. surrexit.

*In Vico Hungarorum.*

Ecclesia PP. Piarum Scholarum B. JOSEPHO CALASANTIO sacra, Anno 1757. constructa est.

In palatio æstivo Comitum de HARRACH Sacellum elegans ab ALOYSIO THOMA RAYM. Comite de HARRACH olim Neapolis Prorege, dein Provinciæ Marschallo conditum 1734. Consecratum Anno 1735. a SIGISMUNDO KOLLONIZIO, Cardinale, & Archi-Præfule VIENNENSI.

*In Via Curforum.*

Sacellum SSS. TRINITATI sacrum in Nosocomio Pauperum, dein foundationis Billottianæ. Erat hæc fundatio ab Anno 1661. usque ad annum 1741. in SINNGERSTRASS, eo loco, ubi nunc census civitatis exsolvuntur. Præscribebantur ibi & præbebantur quotidie egenis petentibus gratis medicinæ. Beneficii auctorem marmor prædicabat, muro domus insertum, quod sic habebat:



Hæc domus infirmos quæ gratis curat egenos,  
Francisci Biliott a pietate venit.

Curabat gratis inopes, dum viveret, ægros:  
Quod fecit vivens, mortuus hicce facit.

Erat FRANCISCUS BILLIOTTI LEOPOLDI I. Imper.  
Archiater.

Non procul inde Ecclesia nova translata huc Xenodochii Cæsarei, in honorem CRUCIFIXI structa Anno 1755, consecrata prima Novembris Anno 1763. ab Archi-Episcopo & Cardinale VIENNENSI CHRISTOPHORO e Comitibus de MIGGAZI, præsentate MARIA THERESIA Augusta.

Templum B. VIRGINIS VISITANTIS Virginum Salsianarum, Imperatricis AMALIÆ opus, cujus fundamentalem petram ipsa posuit 13. Maji 1717.

Sacellum Orphanotrophii sub titulo B. VIRGINIS VISITANTIS anno quidem 1745. stetit, construendæ tamen majori Ecclesiæ primum in fundamenta lapidem jecit Reverendissimus Dominus ANTONIUS XAVERIUS MARXER Suffraganeus VIENNENSIS 22. Octobris anno 1762. Nova Ecclesia anno 1763. perfecta est.

In palatio æstivo Principis EUGENII Sabaudia Ducis, cujus situs amœnitas eidem Belvedere nomen tribuit, Sacellum Resurgenti SALVATORI ab eodem Principe anno 1723. constitutum, anno subinde 1754. consecratum, & publici usus factum est.



*In suburbio Widen dicto.*

Basilica S. CAROLO BORROMÆO a CAROLO VI. Imperatore ob cives in peste servatos excitata est. Primus lapis ab Eodem positus 3. Februarii 1716. Consecrata Anno 1737. in festo SIMONIS & JUDÆ a SIGISMUNDO Cardinali KOLLONIZIO, Archi-Episcopo VIENNENSI. Crucigerorum de rubea stella curæ templi hujus administratio ex integro tradita Anno 1738. 24. Augusti, præfente CAROLO Cæsare. In porticus Zophoro æreis literis ex Psalm. 21. inscriptum:

VOTA MEA REDDAM INCONSPECTV  
TIMENTIVM DEVM.

In vicino cœmeterio Xenodochii civium Ecclesia sub Patrocinio S. AUGUSTINI, fundata a D. AUGUSTINO HIRNEIS. Proximam huic aream civitas VIENNENSIS coëmit 1571. in usum sepulturæ Xenodochii civici, cui eandem pleno jure Anno 1640. transcripsit.

In libera, ut vocant, domo Starhenbergica, alias CONRADSWERD, Sacellum S. ROSALIÆ, ædificatum Anno 1660, a Com. CONRADO DE STARHENBERG.

Templum PP. Minimorum S. FRANCISCI DE PAULA fundatum Anno 1627. a FERDINANDO II. Imp. SS. ANGELOS CUSTODES Patronos veneratur; in hoc Parochialia munia administrantur.

Sacellum in Collegio Theresiano sub titulo S. MICHAELIS, antehac aulicum, cum palatio Cæsaris æstivo, Favorita dicto, surrexit. Sa-



Sacellum S. JOANNIS NEPOMUCENI ad aggeres Favoritanos anno 1761. Sacrorum usum obtinuit.

Ecclesia B. V. VISITANTIS in Nosocomio ad KLAGBAUM, primum Anno 1267. fundatorem nata est GERARDUM sacrum VIENNÆ Curionem.

Templum S. THECLÆ Patrum Piarum Scholarum e fundamentis exiit Anno 1754.

*In Mitzleindorff.*

Templum, Parochiæ vices sustinens, ædificatum anno 1709. in honorem B. V. Desponsatæ, nunc a S. FLORIANO nomen obtinet.

Ad aggeres Montis VIENNENSIS Sacellum S. JOAN. NEPOMUCENI surrexit Anno 1748. Sacrorum usum obtinuit Anno 1750.

Extra hos aggeres, Ecclesia B. V. AUXILIATRICIS, cum coemeterio, constructa anno 1675. Est Parœcia Pagi NICOLSTORFF, intra suburbiorum munimenta eo loco sita, qui olim Vallis S. BERNARDI compellabatur.

*In S. Margarethæ pago intra Lineas.*

In Arce Comitum de SONAU Sacellum S. MARGARITÆ, olim Commenda, ut vocant, teste LAZIO. Supra



pra minorem portam interioris areæ sequentia in marmore leges:

Dum frustra oppugnat Solymanus Turca VIENNAM,  
Aram MARGRETHÆ destruit, atque domum.  
Granæ Præses OLAI restaurat: & inde RUDOLPHUS  
SCHMIDT Baro de SCHWARZHORN auget, & ornat  
opus;

Cæsaris Orator, cum de SULTAN MEHEMET HAN,  
A porta Ottomana Pacifer ipse redit.

Anno, qVo

paCeM, Legatione Defert.

In aula Solis, pauperum usui destinata, Sacellum  
B. V. DOLOROSÆ e ligno constructum anno 1744.

Pone RAMPERSTORFF in palatio Stegneriano, Sa-  
cellum S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Ad aggeres, olim a vicino palatio Belli Fontis,  
nunc a Turri canum dictos, Sacellum S. JOANNI NEPO-  
MUCENO benedictum I. Junii 1759.

*In Gumpendorff.*

Templum S. ÆGIDII Parœciale, ab EBERHARDO  
& JOANNE de CAPELLEN curæ Religiosorum Cisterciensium  
Montis Pomarii in AUSTRIA Superiori traditum  
anno 1360. Ab his, quod longius distent, Patribus  
S. BE-



S. BENEDICTI ad Scotos vicaria opera curandum traditur Anno 1571. Denique Anno 1678. eorundem curæ ex integro relinquitur.

Sacellum COENÆ DOMINI in palatio æstivo Königseggiano, a LEOPOLDO WILHELMO Com. de KÖNIGSEGG fundatum Anno 1688. Aluntur hic juvenes, qui Architectonicæ student.

*In suburbio a fossis argillaceis dicto, vulgo Laimbgruben:*

Juxta novum militum contubernium, in foro frumentario visitur domus ampla, in qua urbis frumenta adservantur. Super porta infra icones S. THEOBALDI & FLORIANI legitur: D. TheobALDI paroChIaLes æDes. Domum hanc anno literis indicato construxit senator Urbis, KREBS cognomine, & apposite non Divi THEOBALDI Paroecialem Ecclesiam, sed Parochiales ædes eo loco stetitisse indicavit. Sancti quippe THEOBALDI templum, illud, quod nunc Patres de Carmelo calceati, spatium occupabat, unde & eorum Conventus ab hoc Sancto hodie dum compellatur. Parochialem Ecclesiam fuisse, communis est sensus; atque inde tota vicinia fundus S. THEOBALDI audit, eundemque in insigni suo præfert. De tempore, quo sacrum Curionem habuit, nihil deprehendi; de subsequo partim PP. Carmeli-



melitarum benevolentia ex eorum Tabulario, partim aliunde accepi sequentia:

Sacellum S. THEOBALDO, & CATHARINÆ dedicatum *Vor dem Widmertbor*, vel potius vicinum Sacello ædificium, a Serenissimo AUSTRIÆ Duce ALBERTO II. & ejus Conjuge JOANNA primitus fundatum, dotatumque est anno 1349. die lunæ post festum Assumptionis B. V. alendis duodecim Nobilibus vel Viduis, vel Virginibus. Fundatione hac forsan desideratum fructum non ferente, RUDOLPHUS IV. AUSTRIÆ DUX & ejus Consors CATHARINA (potestatem faciente URBANO V. summo Pontifice, ut ejus literæ testantur) pone prædictam Divi THEOBALDI ædem suscitavit Monasterium pro sororibus S. CLARÆ anno 1363. *V. STEYERER. in Addit. col. 376.*

Adveniente VIENNAM S. JOANNE CAPISTRANO hæ Virgines suis cum facultatibus alio translatae: Monasterium vero cum templo, cui S. BERNARDINI nomen adjectum est, Patribus S. FRANCISCI de Observantia traditur a FRIDERICO IV. Imperatore 22. Julii Anno 1451.

Monasterium hoc Anno 1529. ob imminentem a Turcis obsidionem cum reliquis suburbiis incendio haustum: unde hi Patres intra Urbem & quidem ad S. RUPERTI, deinde Anno 1545. ad S. NICOLAI in Vico Cantorum, demum Anno 1589. ad S. HIERONYMI commigravere. *Vide Cosmographiam Austriaco-Franciscanam P. Placidi Herzog.*

*Notit. Vindob.*

T

Post



Post primam VIENNÆ obfisionem templo S. THEOBALDI ruinam passo substitutum est Sacellum sub eodem nomine; sed cum adfitis ædibus & area in diverforum manus devenit, donec Anno 1661. PP. de Carmelo, VIENNAM postliminio reduces, ab Illustrissimo Barone CHAOS DE RICHTHAUSEN suo ære eas ædes & aream sibi compararunt. Quoniam vero & Sacellum & Coenobium in postrema Turcarum obsidione rursus dirutum & eversum est, capta denuo possessione, Sacellum in S. JOSEPHI Ecclesiam mutatum; ad quam JOSEPHUS Hungariæ Rex primum lapidem ab ERNESTO e Comitibus DE TRAUTSOHN Viennensi Episcopo benedictum Anno 1687. 22. Augusti in fundamenta misit, adjecto memoriali nummo, cujus epigraphe: *Pro Gloria Dei cedat primum possuisse lapidem in Domo Domini.*

Inde porro progressis occurrit Ecclesia S. CRUCIS Chaosianis Alumnis anno 1736. exstructa, cura Illustris Domini CAROLI DE MOSER Provinciæ Pro-Mareschalli. Nunc in ea Ecclesia, THERESLÆ Augustæ Munificentia splendide ornata & turri elegantis operis instructa, scholæ Militaris Alumni, & Academiæ Sabaudicæ Nobiles Adolescentes sacris interfunt.

*In fundo Schöff dicto vulgo ad Beatissimam Virginem Auxiliatricem.*

Templum B. V. AUXILIATRICES PP. Barnabitarum Parochiale, primam originem habuit Anno 1660. Novum



vum excitatum Anno 1686. 20. Aprilis ERNESTO TRAUTSOHNIO Viennensi Antistite primum lapidem in fundamenta jaciente: Anno 1713. perfectum est.

Sacellum SS. Trinitatis palatii Andleriani in fundo NEUBAU, Anno 1690. conditum.

Sacellum Divi JOANNIS NEPOMUCENI ad aggeres B. V. Auxiliatricis, seu ad portam munimentorum illius suburbii, sacrorum usum obtinet.

*In suburbio S. Udalrici.*

Ecclesia S. FRANCISCI PP. Capucinatorum fundata Anno 1600. ab ERNESTO Barone de MOLLARD: post annum 1683. restituta ab Excellentissimo D. Comite CAROLO SZERENI.

Templum S. UDALRICI Paroeciale sub cura Patrum S. BENEDICTI ad Scotos. Modernum struere coepit Anno 1721. Reverendissimus Dominus CAROLUS FEZER Scotensium Abbas.

In ejus Ecclesiae Curia parochiali Sacellum B. VIRGINIS CONSOLATRICES.

In Coemeterio ad eam Parochiam pertinente Ecclesia S. JOANNIS BAPTISTAE.

*In Antiquo Alaudarum Campo.*

Sacellum ad SEPTEM REFUGIA fundatum Anno 1714. a Domino MICHAELE KNOR.



*In suburbio Josephino.*

Ecclesia PP. Piarum Scholarum sub titulo B. VIRGINIS FIDELIS, dicata B. V. DESPONSATÆ, constructa a LEOPOLDO I. Imperatore Anno 1698, qui ibidem cum JOSEPHO filio, Rom. & Hungariæ Rege primūm Lapidem posuit 2. Septembris. Sacrorum curionum munera dicti Patres hic obeunt.

Cœmeterium hujus Ecclesiæ est prope aggeres Lerchenfeldenses, in quo elegans templum S. JOANNIS NEPOMUCENI ædificatum Anno 1736.

In palatio antea Haugwiziano nunc hippodromo JOSEPHI Rom. Regis Sacellum S. ANNÆ conditum Anno 1758. ab Excellentissimo Comite FRIDERICO WILHELMO DE HAUGWIZ.

*In Vico ad Alsam.*

Postquam Anno 1733. ob majus urbis commodum & salubritatem in Cœmeterio ad S. STEPHANI corpora inhumare vetitum, pars areæ, in qua se cives ad metam jaculando exercent, in Urbis Cœmeterium versa est. Visitur isthic Sacellum COENÆ DOMINI.

Templum PP. de Redemptione Captivorum SSS. TRIADI dicatum surgere cœpit Anno 1695. 19. Aprilis, primum lapidem ponente LEOPOLDO I. Imperatore. Religiosi jam Anno 1688. VIENNAM advenere.

In



In domo Pauperum Ecclesia S. CRUCIS cum animarum cura, quæ administratur a Religioso S. BENEDICTI ad Scotos, cum duobus ministris toti etiam suburbio in Sacris providente. Domus hæc & Ecclesia ab Imperatore LEOPOLDO Anno 1693. inchoata est: Xenodochium vero in eam amplitudinem excrevit, ut nec incolarum numero, nec vastitate ædium majus in Orbe habeat. Septem in illo areæ, quarum prima militibus ab ætate, vel vulneribus invalidis contributa: longa est orgias centum, lata quinque & nonaginta. Altera, quam Thavonathianam dicunt, patet in longum orgias duas supra quinquaginta, in latum triginta septem. Tertia Studioforum longa orgias triginta septem, lata viginti tres. Quarta infirmorum, longa orgias triginta septem, lata octodecim. Quinta nondum plene perfecta est. Sexta Præfæci domus area dicitur, septima opificum. Ne evagandi incolis occasio sit aut necessitas, propria huic domui pecunia est, singulaque, quæ ad victum aut usum pertinent, intus venalia prostant.

In novo pauperum contubernio ad Alsam rivum, Sacellum S. ANNÆ Anno 1759. ædificatum.

Templum B. VIRGINIS DE MONTE SERRATO cum Abbatia Ord. S. BENEDICTI Anno 1633. fundatorem invenit in FERDINANDO II. Imperatore, accersita horum Religiosorum colonia ex celeberrimo in Catalonia Montis Serrati Cœnobio. Post destructum in ultima VIEN-



NÆ obsidione antiquum templum, novo fundamentalem lapidem posuit Anno 1690. 11. Julii LEOPOLDUS Cæsar. Modernum a Reverendissimo Abbate ANTONIO anno 1727. ad omnem elegantiam eductum est.

Hujus Monasterii Patribus commissum est etiam adfitum amplissimi ambitus Coemeterium, in cujus medio elegans DEIPARÆ CELLENSIS Sacellum. Statua curata est ab Augusta ELEONORA MAGDALENA THERESIA, atque huc translata post Gibralterram occupatam Anno 1704. Cæsarea aula comitante.

*In Vico Waringensi.*

A finistris occurrit contubernium Juvenum honesto loco legitimoque thoro natorum, quod ad eos in pietate & literis informandos Anno 1663. fundavit Illustrissimus Baro JOANNES CONRADUS A RICHTHAUSEN DE CHAOS in platea Carinthiaca juxta Xenodochium civicum. Anno 1736. traductum est ad LAIMGRUBEN, ubi modo Schola militaris: demum 1754. ad hanc stationem, ad quam etiam fundatoris exuviæ ex hospitalis civici templo Anno 1761. translatae sunt.

In Domo ex peste convalescentium Sacellum S. ROCHI.

In Nosodochio morbo contagioso laborantium, vulgo domuncula Pistorum, Ecclesia S. ROSALIÆ cum infir-



firmorum cura, quæ administratur a Religioso Scotensis Monasterii, totius etiam vicinæ Parœcum agente.

In Nosocomio pestiferorum, vulgo LAZARET, olim Sichenals templum antiquissimum S. JOANNIS BAPTISTÆ, Anno 460. a S. SEVERINO conditum fertur. Restauratum ab OTTONE de NEUBURG ante annum 1276. Habet in districtu suo sacrum curionem, obligatum tempore pestis, ea infectis Sacramenta administrare.

Nosocomium Hispanicum pro ægrotis ex ea gente fundavit CAROLUS VI. Imperator, idemque Hispaniarum Rex Anno 1722, cum nitida Ecclesia sub titulo B. V. de MERCEDE, cujus primum lapidem jecit die 2. Augusti. Hæc anno sequente a LEOPOLDO KOLONIZIO Viennensium Archi-Præsule inaugurata est.

E regione, in horto Baronis JOANN. BAPT. STRUDL Sacellum exiguum S. PETRI Apostoli, ab eodem constructum Anno 1691.

Ad aggeres Waringenses Sacellum D. JOANNIS NEPOMUCENI, in quo ab anno 1762. ad aras litatur.

*In Rossau seu prato equorum.*

Ad Danubium Sacellum S. CRUCIS a diversis benefactoribus excitatum Anno 1714.

In medio suburbii, templum B. V. ANNUNCIATÆ Servorum B. VIRGINIS. Antiquum conditum est Anno

1638.



1638. Novum Anno 1651. ab OCTAVIO PICCOLO-  
MINEO Principe Amalphytano. Idem templum in com-  
muni suburbiorum strage Anno 1683. barbarorum feri-  
tatem lepidò errore evasit. Videre in summo tholo de-  
pictas veterum prophetarum imagines promissis barbibus,  
capite cydari tectos, ac nescio quid sui cultus habentes;  
quare suos rati, tactique religione manus inferendas non  
putavere. Ita legitur in libello, cui titulus: Lustra de-  
cem coronæ VIENNENSIS, seu suburbia VIENNENSIA.

*- In fundo Thury compellato.*

Hucusque pertingebat olim pagus Siechenals a Tur-  
cis Anno 1529. everfus. Fundus iste nunc THURY nomen  
tenet a vicina trans Alsam domo, quam in eo solo  
primam ædificavit JOANNES THURY, Anno 1646. ut  
parieti inhærens lapis testatur.

*Vor alters allhie ein dorff standt,  
Welches Siechenals genannt,  
Als man zelt 1529. Jahr,  
Von Türken zerstöbret war.  
Anjezo als man 1646. sagt,  
Johann Thury dis Haus erbauet hat.*

Prope pontem Alsæ, Sacellum S. JOANNIS BAPTI-  
STÆ Anno 1713. pestis tempore exstructum.

*In*



*In suburbio, olim Wisen, seu Pratum nuncupato; nunc  
Claræ Vallis, quod nomen a Principe Adamo Liechtenstein  
ejus conditore Anno 1701. traxit.*

Erat hic loci præter Principis braxatorium olim  
Sacellum S. ANNÆ, idque angustum; unde auctis incolis  
templum majus & elegans substitutum est a Sanctis **QUA-  
TUORDECIM AUXILIATORIBUS** nuncupatum. Condi-  
tum hoc templum est Anno 1712. sacrum lapidem, eum-  
que omnium, quos in sacrarum ædium fundamenta jecerat,  
primum ponente CAROLO VI. 20. Novemb. Hinc  
suburbio illi civitatis Carolinæ nomen impetratum: an-  
tiqua tamen nomenclatio apud vulgus prævaluit. Regio  
hæc Waringensi Curioni suberat usque ad annum 1723,  
quo proprium nacta est, & quidem primum A. R. D. JO-  
SEPHUM DE GEORGIO Pastorem zelantissimum.

Coemeterium Parœciæ hujus in colle aggeribus  
Nucetanis vicino, cui SPÄRCKBÜCHL nomen, fundo  
Virginibus Portæ Coeli obnoxio, Sacellum aliquod ex-  
spectat.

*In Urbis Pomœrio.*

Inter portam piscatorum & portam parvi valli, seu  
SCHÄNZLTHOR, extra palorum sepimenta elegantissimum  
S. JOANNIS NEPOMUCENI Sacellum, constructum Anno  
*Notit. Vindob.* U 1744.



1744. a Telonio Regio; postquam prius Sacellum ob metum a Gallo-Bavaris Anno 1741. demolitum est.

Ut piorum Mæcenatum memoriae, & lectorum dubiis consulatur, aliqua notare placuit de templis ac xenodochiis, quæ gemina Turcarum obsidio aut in ruinam traxit, aut obliteravit. Translatis ex eremitorio S. JOANNIS in WERD ad templum, ut vocant, aulicum S. AUGUSTINI Religiosis, in relicto Cœnobio FRIDERICUS Pulcher Imp. consentientibus ALBERTO, & OTTONE fratribus, fundavit Valetudinarium tredecim infirmorum, quorum sacræ curæ, sacerdotem cum duobus, ut ait, *Scholaribus* adjunxit. Ita testantur ejus literæ datæ 3. Julii 1327. Regni sui anno XIII, quæ servantur in Tab. Coll. Græc. S. J. Ex his colligitur primo, Regio titulo etiam tum FRIDERICUM usum fuisse. Secundo, aliud hoc a Civico Xenodochium esse: illud enim extra portam Carinthiacam, hoc extra Werdanam situm erat, eo loco, quem nunc in suburbio Leopoldino, olim *der untere WERD*, Fratres Misericordiæ tenent.

In suburbio ante portam aulicam, seu palatinam erat Xenodochium cum templo S. MARTINI sub auspiciis Equitum Ordinis S. GEORGII; discitur hoc ex literis donationis BLASII LASARIN CIVIS VIENNENSIS, exaratis anno 1515. & 1516. In his eo tempore Magnus Ordinis Magister legitur Reverendissimus Princeps JOAN-



NES GEYMAN. Idem Anno 1528. nominatur in literis JOANNIS DE REVELLIS Episcopi VIENNENSIS, quibus memoratæ Ecclesiæ novum præficit sacerdotem. GEYMANO in Magistratu successit WOLFGANGUS PRANNTNER, qui FERDINANDI I. Rom. Regis *Camera aulicæ superintendens erat*; ut scribitur in instrumento Anno 1539. 10. Januarii confecto; quæ omnia habentur in Tabulario Coll. Græc. S. J.

Anno 1513. hospitalariæ domui, quæ a facultate Artistica extra Stubarum portam, grassante sæpius epidemica lue, ingenti Academiæ alumnorum bono ab anno 1494. extracta fuit, S. SEBASTIANI Sacellum adjunctum est. Primus lapis quinto die Aprilis per Reverendum in Christo Patrem, ut acta loquuntur, Præpositum ad S. STEPHANUM, studiique VIENNENSIS Cancellarium jactus est. Hæc habe *ex Consp. Hist. Univ. Vienn. P. II. pag. 82.*

---

## C A P U T XVI.

### *De Episcopis Viennensibus.*

---

**J**am dudum proprios VIENNA Episcopos nacta est; ut suis annis notavi: sub annum 482. MAMERTINUM,



sub initium seculi noni RATFREDUM; quamvis autem de horum Successoribus certi nihil habeamus, INNOCENTIUS tamen III. ante annos quingentos septem & quinquaginta jure quasi postliminii Episcopalem VIENNÆ sedem restituere decrevit, ut discitur ex ejus literis apud BALUZIIUM T. II. L. X. Epist. INNOCENTII III. superius cap. XI. adductis. Hujus voluntatem rerum conversione tunc impeditam implevere demum seculo decimo quinto PAULUS II. & SIXTUS IV. summi Pontifices. Sequentium igitur VIENNENSIIUM Antistitum seriem ex Conspectu Historiæ Universitatis nostræ sub oculos ponimus.

### A N N U S 1480.

Ecclesia D. STEPHANI, quæ ab anno 1360. Collegiata fuit, anno hoc Cathedralis (obtentis jam antehac erectionis a PAULO II. anno 1468, aliis item a SIXTO IV. anno 1475. literis) est publicata, atque non VIENNA minus, quam Universitas a jurisdictione sacra Pataviensis Episcopi exempta est. *Hist. Un. Vienn. P. II. pag. 31.* Juverit hac super re audire Acta Facultatis Artificiæ de Anno 1580.

„ In Vigilia S. MATTHÆI coram congregata Univer-  
 „ sitate exposuerunt Oratores Cæsareæ Majestatis; quod  
 „ Dominus Imperator omnino vellet, ut in futurum tota  
 Uni-



„ Universitas, & singula ejus supposita, pro Ordinario suo  
„ recognoscerent præficiendum Ecclesiæ VIENNENSI,  
„ quæ Dominica præcedente cum magna solemnitate pro  
„ Cathedrali erat promulgata, juxta tenorem Bullarum  
„ Apostolicarum. Erat tunc sollemnis processio, cui &  
„ Universitas interfuit ad desiderium Cæsareæ Maje-  
„ statis, eo modo, quo interest processioni in die Corpo-  
„ ris Christi. Proposuerunt item præfati Oratores, &  
„ volebant nomine Domini Imperatoris, quatenus Uni-  
„ versitas demandaret his, qui in causis quibusdam patro-  
„ cinati sunt in Consistorio Pataviensi, ut in futurum ab  
„ hujusmodi desisterent in VIENNA; coram tamen Offi-  
„ ciali Ecclesiæ VIENNENSIS id facere possent, & in ejus  
„ Consistorio. Hæc posteaquam sunt proposita, Rector  
„ ad quorundam consilium statim respondebat: quod Uni-  
„ versitas velit, sicut debet, obtemperare desiderio Cæ-  
„ sareæ Majestatis. *Pag. 31. & 32. Partis II.*

Primus itaque omnium anno hoc a FRIDERICO Cæ-  
sare Urbi VIENNENSI, atque Ecclesiæ Antistes datus  
est LEO DE SPAUER, dignus eo honoris gradu, tum  
ob generis in Tyroli splendorem, tum ob insignia virtu-  
tum ac doctrinæ decora, qui sub ea tempora Curionis,  
non procul VIENNA, munere fungebatur. *Pag. 32.*

Eodem hoc anno nominatum a FRIDERICO Cæsare  
primum Cathedralis Capituli Præpositum, THOMAM  
DE CILIA, in Constantiensi Ecclesia eadem dignitate ful-



fulgentem, tum Actorum Facultatis Philosophicæ liber, cum vetustæ Canonicatus VIENNENSIS tabulæ edocent. Et quoniam hæc non parum ad rem præsentem faciunt; libuit communicatum a Reverendissimo & Magnifico ad D. STEPHANI Canonico, utriusque inaugurationis documentum isthic recitare:

„ Anno Domini millesimo, quadringentesimo, octo-  
 „ gesimo, decima septima die Sept., quæ erat Dominica  
 „ Sexta decima post Pentecosten, & celebris etiam S.  
 „ LAMBERTO Martyri & Episcopo Traject., coram Re-  
 „ verendissimo in Christo Patre, & D. ALEXANDRO Fo-  
 „ roliviensi Episcopo, & Sedis Apostolicæ cum potestate  
 „ legati de latere Legato; coram & alio Legato, qui gratia  
 „ Salzburgensis Ecclesiæ missus fuerat, celebrata est publi-  
 „ catio Ereccionis Ecclesiæ Collegiatæ nostræ WIEN-  
 „ NENSIS in Cathedralem hoc ordine: ALEXANDER Le-  
 „ gatus, ubi indutus est, cum 16. Diaconibus, & toto Cle-  
 „ ro, & populo, se posuit super sellam ante altare summum,  
 „ alium Legatum secum assumens ad latus non indutum ve-  
 „ stibus sacris; postquam per Notarios, in præsentia  
 „ Consiliariorum Serenissimi Domini Imperatoris FRIDE-  
 „ RICHI III. requisitus est ad publicandum Apostolicas Bul-  
 „ las: eis acceptis reverenter, per suum Scribam eas cla-  
 „ re, & publice legi fecit ad laudem Dei, & honorem  
 „ Imperatoris. Dein requisitus iterum ad instantiam No-  
 „ tatariorum pro D. THOMA DE CILIA, ut eum Præposi-  
 „ tum



„ tum dictæ Ecclesiæ declaret nominatum, & admissum;  
„ quod & factum est. Dein surgens Legatus processio-  
„ nem per Ecclesiam & urbis bonam partem celebravit,  
„ sequentibus Episcopo Strigoniensi, tunc Administratore  
„ hujus Ecclesiæ, & Legato Apostolico alio, & Baronum  
„ & Procerum nobiliter caterva. Universitas quoque a latere  
„ processionis Ecclesiasticæ in Scholaribus, Baccalaureis,  
„ Magistris, atque Doctoribus ornatissime incescit. Et ei  
„ processioni de mandato Principis omnes Religiosorum  
„ Ordines devotissime interfuerunt. Et ubi reditus ad Ec-  
„ clesiam factus est, jussit ambas Bullas, quæ ex utraque  
„ parte per Notarios publice portabantur, ad valvas por-  
„ tæ Aquilonaris sub turri nova affigi: deinde ad altare  
„ summum Missam de Spiritu Sancto solemnissime decan-  
„ tavit. „ *Pag. 32. & 33.*

Nota: Supra memoratum Episcopum, rectius Ar-  
chi-Episcopum Strigoniensem, fuisse JOANNEM ALE-  
MANNUM, seu Vratislaviensem dictum, Administrato-  
rem Collegiatæ Ecclesiæ VIENNENSIS ab anno 1477.  
subinde creatum Archi-Episcopum Salisburgensem. Obiit  
1489. Ita habetur in parte II. Archi-Episcoporum  
Strigoniensium NICOLAI SCHMITTH S. J. *pag. 3. 4. 5.*  
*6. &c.*

Catalogus Episcoporum VIENNENSIVM typis vul-  
gatus conjicit ad annum 1485. primi VIENNENSIVM An-  
tistitis LEONIS DE SPAUER obitum, atque eidem ad infu-  
las



las fuffectum BERNARDUM DE RHOR, Archimyftam antehac Salisburgensem, quo munere fe anno 1482. abdicaverat. Ad hunc igitur annum 1485. fi referenda est BERNARDI ad VIENNENSEM EPISCOPATUM a FRIDERICO Cæfare denominatio, eundem adhuc vivo LEONE, jam ab anno resignationis fuæ Administratorem Episcopatus VIENNENSIS constitutum fuiffe est necesse. Aperte enim Acta Philosophica ad annos 1483. & 1484. eundem BERNARDUM DE RHOR Administratorem Episcopatus VIENNENSIS nominant. *Consp. Hiftor. Univ. Vienn. pag. 45.*

Eodem anno 1485. BERNARDUS DE RHOR Viennensi Episcopatu rurfus excidit. Capta enim VIENNA a MATHIA Rege, Urbem, Infulasque deseruit: quibus URBANUS Agriensis Antiftes, MATHIÆ Regis Ecclefiastes, & Quæftor admotus est. *Ibidem.* BERNARDUS obiit Titmaningæ Anno 1487. 21. Martii, retento femper Archi-Episcopi Salisburgensis nomine. *HANSIZ. T. II. Germ. Sacr. pag. 531.*

Anno 1490. Vivente adhuc MATHIA Rege e vivis abiit URBANUS Antiftes VIENNENSIS. Eidem a Rege Hungaro in fuccefforem datus JOANNES, Vefprimienfi jam infula clarus, Vir ingenti Zelo præditus. Præfuit Administrator, quo eum nomine Acta Universitatis compellant, annos fere novem, donec anno Salutis 1498. fatis concessit. *Pag. 51. Consp. Hift. Univ. P. II.*

Anno



Anno 1498. ad infulam VIENNENSEM nominatus BERNARDUS Baro a POLLHEIM. Refert tamen Catalogus VIENNENSIVM Episcoporum, virum & virtute & literis insignem, nunquam se Episcopum, sed Administratorem duntaxat VIENNENSIS Tiaræ dici voluisse *Pag. 61.*

Quamvis vero idem Catalogus Episcoporum VIENNENSIVM, gestam infulam BERNARDI a POLLHEIM ad annum usque 1513. differat, rectius tamen cum nonnullis arbitror, eundem suprema fata anno 1503. obiisse, atque ab obitu per decem omnino annos Ecclesiam VIENNENSEM Antistite vacasse. Ejus rei fidem Annales Philosophici æque, ac Theologici apertam faciunt; dum per annos istos identidem meminere: *sedem Episcopalem vacasse, vacante sede plures cum Officiali ad S. STEPHANUM fuisse controversias; sæpius etiam nonnullas lites decisas, ea tamen adjecta clausula: citra tamen præjudicium futuri Ordinarii, atque Ecclesiæ Cathedralis S. STEPHANI Episcopi. Pag. 69. Vide etiam paginam 82. de anno 1513.*

Anno 1513, posteaquam decem fere annos Dicecesis VIENNENSIS vacasset Antistite, datus est eidem Episcopus GEORGIUS a SCLAVONIA, seu a SLATKONIA, Carniolus Labacensis, Administrator antehac Petinensis, Cæsari MAXIMILIANO a consiliis, & sacris concionibus. *Pag. 82. Præfuit Ecclesiæ VIENNENSI magna cum laude annis novem. Pag. 83.*



Anno 1522. VI. Cal. Maji finem vitæ imposuit Reverendissimus VIENNÆ Episcopus GEORGIUS a SCLAVONIA: ut proinde rursus minus recte annum sequentem obitus ejusdem statuisse nonnulli videantur; cum jam anni insequentis septima Februarii in literis a FERDINANDO I. Archiduce datis PETRUS BONONIUS Viennensis Episcopatus Administrator nominetur: idque satis aperte confirmat Epitaphium, quod etiamnum in æde Divi STEPHANI penes altare Divi BRICTII nunc S. ANTONII extat, ut sequitur:

GEORGIUS a SLATKONIA, *Natione Carniolus Labacensis civitatis, hujus templi Pontifex, & Petinensis Administrator. Divi MAXIMILIANI Cæsaris Augustissimi à Consilio, Archimusicusque. Vir Pientissimus, Modestissimus, Integerrimus, qui in ornando Episcopatu Viennensi omnes Antecessores suos facile superavit. Vivus sibi hoc Monumentum fieri curavit. Anno Salutis M. D. XXII. sexto Calendas Maji. Vixit annis LXVI. Mense Uno, Diebus Quinque. Vide pag. 114. & 115.*

Anno 1522. accersitus est GEORGII in locum ad VIENNENSES Infulas Reverendissimus Dominus PETRUS BONONIUS (Ughello BONOMIUS) Tergestinus Antistes, & supremus aulæ FERDINANDI Archiducis Cancellarius, qui easdem, quemadmodum ex Actis Universitatis colligere est, non nisi Administratoris nomine ad anni usque sequentis mensem circiter Augustum sum-



ma cum laude gestavit, ut in Actis laudatis lego: *Cum Universitatis nomine anno 1523. decima Julii plura de controversia Universitatis, apud Reverendissimum PETRUM BONONIUM tractarentur, is respondit: se jam non posse cum Universitate contendere; cum esset tantum Administrator, nec habeat confirmationem a sede Apostolica; sed ageret Administratorem Principis. Pag. 115.* Unde ad suam sedem reversus, & Tergesti anno adhuc 1546. vixisse a LAZIO coævo perhibetur Rer. Vienn. L. II. cap. 4.

Anno 1523. Non diu ab abitu PETRI BONOMII vacavit Ecclesia VIENNENSIS; nam paucos post menses eidem præfectus est JOANNES a REVELLIS, Canonicus ad S. STEPHANUM, ac FERDINANDO Archiduci ab eleemofynis, & confessionibus. Eodem enim anno hoc, ac mense non nisi uno alterove a discessu BONOMII Episcopum VIENNENSEM JOANNEM esse denominatum vel inde constat, quod mense Julio anni hujus PETRUM BONONIUM VIENNÆ adhuc fuisse Acta Universitatis, superius relata, testentur; JOANNEM autem a REVELLIS jam mense Novembri, anni itidem præsentis, fuisse Antistitem datæ ejusdem ad Universitatem literæ satis declarant. Præfuit annis fere octo: nimirum usque ad annum 1531, quo ad mercedem in coelum est evocatus. *Pag. 118.*



Anno 1531, sublato e vivis JOANNI DE REVEL-  
LIS, VIENNÆ in Episcopatu successit JOANNES FA-  
BER, natione Suevus Leutkirchensis; non Universitatis  
modo nostræ, sed & Ecclesiæ totius magnum lumen,  
& ornamentum. Accersitus primum a FERDINANDO,  
conscientiæ suæ arbiter, & ab intimis consiliis esse ju-  
betur; tum ad vacuam Pastore VIENNENSEM Eccle-  
siam admotus, eidem zelo, pietate, doctrina, decem  
fere annis præfuit: Administrator simul Episcopatus  
Neostadiensis. In id præ reliquis intentus, ne VIEN-  
NAM sectariorum venenum amplius corripere, cor-  
reptique avitæ Religioni restituerentur. Obiit Anno  
1541. *Pag. 146. & 147.*

Jam Episcopus transcripsit optimorum librorum su-  
pellestem Studiosorum pauperum ad Divum NICOLAUM  
Collegio: donationem suam hisce verbis exprimens:  
*Donamus Collegio nostro apud S. NICOLAUM, ordinamus-  
que, ut in perpetuum studentibus usui sit, juxta statuta,  
& præscripta nostra. Actum VIENNÆ I. Septembris  
anno 1540. Ibidem pag. 147.*

Anno 1541. viduæ ab obitu JOANNIS FABRI, qui  
in hunc annum inciderat, jacebant Infulæ VIENNENSES;  
donec eas Reverendissimus FRIDERICUS NAUSEA, Blan-  
ciampi in Franconia natus resumeret, quibus sustinendis  
ipso quatuor annos FABRÒ antea Coadjutor datus erat.  
Magnum inter eruditos æque, ac fidei orthodoxæ pro-



pugnatores Nomen. Theologiæ enim ac Legum Doctorem, deinde Ecclesiasten Moguntiaë, FERDINANDUS Romanorum Rex ad se advocatum sibi primo esse jussit a consiliis, & concionibus, tum anno hoc VIENNENSEM Episcopum. Vir ea etiam in dignitate Apostolicus, qui pro Domo Dei, & reducendis ad ovile Christi errantibus nulli pepercit labori; verbis potens, & libris, quos & Christiana eruditione, & fidei soliditate præstantes longo ordine recenset POSSEVINUS. Interfuit deinde fidei Catholicæ propugnator Concilio Tridentino sub JULIO III. anno 1551., ubi etiam, ut dicitur, sacris laboribus immortalis est. *Pag. 163.*

Anno 1552. 6. Februarii Tridenti mortuus est Reverendissimus VIENNENSIVM Antistes FRIDERICUS NAUSEA. Funus ejus VIENNAM delatum, 26. Februarii in ædes S. STEPHANI ante medium templi altare summis cum ceremoniis est sepultum. Vifitur etiamnum eo in loco marmor cum sequenti inscriptione:

D. FRIDERICVS NAVSEA EPISCOPVS  
VIENNENSIS ANNO M. D. LII.

Aliud infra aram D. CATHARINÆ Virginis Proto-Martyris, in ejusdem templi columna epitaphium eidem erectum est post annos octo, e tabula lignea, in qua ejus effigies e pulpito sacro ad populum dicentis coloribus expressa, subjecta hac epigraphe:



*Reverendissimo in Christo Patri Friderico Nauseæ,  
Episcopo Vienn., qui vita momentanee Tridenti in Conci-  
lio defunctus, inde translatus, hic sepultus est.*

*Antonius Mugliz successor posuit*

*Anno Domini M. D. LX.*

*Dominus ad iudicium veniet. Esaiæ 3.*

*Pœnitentiam agite. Ezech. 18.*

*Catholicum pavi populum sic Nausea verbo,*

*Ut pax Ecclesiæ toto floreret in orbe;*

*Pars ideo sum Concilii, majorque Tridenti:*

*Ossa Vienna tenet sed Præfulis abdita chari.*

*Pag. 188, & 189.*

Post mortem FRIDERICI, 13. subinde Februarii, a Neostadiensi Ecclesia ad VIENNENSEM Episcopatum evocatus est CHRISTOPHORUS WERTWEIN, Alsata Pforzheimensis, FERDINANDO Regi a conscientiæ consiliis. Vir spei maximæ; nisi eum citius, quam credebatur, invida fata eripuissent: altero siquidem ab inito Episcopatu anno, humanis est ereptus. *Pag. 189.*

Anno 1553. Acta Bursæ Rosæ memorant tristem Universitatis jacturam Reverendissimi in Christo Patris CHRISTOPHORI WERTWEIN Episcopi VIENNENSIS, nec non SS. Theologiæ Doctoris, FERDINANDO quondam Regi a concionibus simul, eleemosynis, & confessionibus, qui anno hoc 20. Maji hora 6. matutina fa-



tis urgentibus sedem suam deseruit. Vacavit ab ejus obitu Episcopalis sedes annos fere quinque, ad annum nempe 1558. *Pag. 191.*

Anno demum 1558. in vacantem jam in annum quintum Episcopalis VIENNENSIS Ecclesiæ sedem Reverendissimus Antistes D. ANTONIUS MUGLIZ (ita enim ex Universitatis Actis EDERUS cum LAZIO coævo colligit, adversus eorum opinionem, qui ANTONIUM eodem, quo CHRISTOPHORUS obiit, anno Antistitem VIENNÆ datum prodiderunt) collocatus est. Hic in Universitate nostra literis Adolefcens excultus est; supremus deinde & Generalis Dominorum Crucigerorum cum rubea stella per Poloniam, Moraviam, & Bohemiam Magister effectus. Quo in honore gradu, cum strenuus fidei & Religionis assertor audiret, a FERDINANDO I. Cæsare ad VIENNENSEM Insulam evocatur. Præfuit indefessus Ecclesiæ suæ Pastor quadriennio ea commendatione, ut anno 1562. ad Archi-Episcopalis honoris gradum Pragæ eveheretur. Inde FERDINANDI Cæsaris nomine Concilio Tridentino Orator adesse jussus est: cui etiam usque dum terminaretur, interfuit. Redux e Concilio, Pragensem rexit Metropolim summa cum laude ad annum usque 1580, quo meritis & annis gravis vivere desit. *Pag. 206.*



Anno 1562. Translato a VIENNENSI Cathedra ad Pragensem Archi-Episcopatum ANTONIO MUGLIZIO, in ejus locum VIENNENSIS Administrator designatus est URBANUS Gurcensis Præsul, qui præter Ecclesiam suam, VIENNENSEM quoque gubernavit ad annum usque 1574. Charus adeo Austriacis Principibus; ut FERDINANDUS I. æque ac MAXIMILIANUS II. Imperatores sibi eum a consiliis habere, Palatinique Comitum munus gerere voluerint. CAROLUS vero Archidux, & AUSTRIÆ Interioris Dominus in intimum Consilium adlectum, e pulpito quoque Ecclesiasten Aulicum non sine approbatione audierit. *Pag. 211. & 212.*

Anno 1574. a MAXIMILIANO II. Cæsare Episcopus VIENNENSIS nominatus, sequente vero a GREGORIO XIII. confirmatus, atque a STEPHANO FEJERKÖVIO, Vespriemiensi Episcopo, consecratus est JOANNES CASPARUS NEUBECK, Friburgi Brisgojæ natus; patria in urbe e sacro simul ac scholastico pulpito antea Doctor, ac a gestis ibidem Rectoris insignibus, titulisque clarus. Viginti omnino annos inter labores plurimos pro Religione Catholica, tutandisque Ecclesiæ Romanæ sacris indefesse desudavit; cum 28. Augusti Anno 1594. pie, ut vixit, in Domino obdormivit. *P. III. Consp. Histor. Univ. pag. 68.*

Anno 1598. vacanti jam inde ab anno 1594. VIENNENSI Episcopatu a RUDOLPHO Cæsare Administrator  
 ONNA  
 datus



datus is ipse, qui & Præpositi ad S. STEPHANUM, & Cancellarii apud Universitatem, & Officialis in curia Passaviensi, & Administratoris Neostadiensis Episcopatus, Consiliarii denique, sacrique apud Cæsarem Oratoris munere fungebatur, Reverendissimus MELCHIOR KLESELIUS; Anno tamen non nisi 1602. Infula ei ab Apostolica sede confirmata est. *P. III. p. 74.*

Anno 1616. Purpuratos inter Patres ad postulacionem Cæsaris MATHIÆ a PAULO V. 11. Aprilis adlectus est MELCHIOR KLESELIUS: e manibus Cardinalis FRANCISCI DIETRICHSTEINII Purpuram, Galerumque Cæsare coram, Pragæ 29. Junii accepit. *P. III. Histor. Univ. pag. 104. & 105.*

Anno 1630. magno bonorum omnium luctu, vitam clausit Eminentissimus Cardinalis MELCHIOR KLESELIUS 18. Septembris; postquam variam inter fortunam sibi semper constans vixisset annos septuaginta septem, & pari animo Sacramentis omnibus munitus, sub horam nonam noctis mortem Neostadii excepisset. Natus erat VIENNÆ anno 1553. Deductum Eminentissimi funus Neostadio, ad Scotensem Ecclesiam compositum; dum solemniter, funebrique pompa Ecclesiæ Cathedrali Divi STEPHANI 17. Novembris est illatum. *Pag. 189.*



Mandatum terræ corpus ante aram B. Virginis in Sacello ejusdem maximo, lapide sepulchrali subjectam præferente inscriptionem:

*Reverendus Dominus Melchior Klefelius, Viennensis Austriac: cum ab invictissimo Cesare Rudolpho Anno M. D. LXXIX. proprio motu in Præpositum Sanctæ Cathedralis hujus Ecclesiæ publicaretur, ejusdem pari benignitate in Episcopum Anno M. D. XC. VIII. XXIV. Januarii die proclamatus. Insuper a Paulo V. summo Pontifice Apostolici Concionatoris titulo insignitus, multis ac variis pro Ecclesia Dei, & Christiana Republica susceptis laboribus confectus, Deo animam reddidit Anno M. DC. XXX.*

Appendit subinde meritissimo Præfuli Celsissimus successor ANTONIUS de WOLFFRATH Epitaphium aliud, rubro alboque marmori incisum ad cornu ejusdem altaris sinistrum, quod brevi compendio meritorum illidem comprehendit:

MONUMENTVM  
 EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO  
 PRINCIPI  
 ET D. D. MELCHIORI S. R. E. TIT. S. MARIÆ  
 DE PACE PRESBYTERO  
 CARDINALI KLESELIO,  
 EPISCOPO VIENNENSI, ET NEOSTADIENSI.  
 AV.



AVGVSTISSIMI IMPERATORIS MATHLÆ  
ARCANORVM  
CONSILIORVM DIRECTORI.  
HÆRESVM PERSECVTORI.  
RELIGIONIS CATHOLICÆ HIC LABENTIS  
RESTAVRATORI.  
MAXIMIS P. P. ET IMP. ROM. OB EXCELSAS  
INGENII AC NATVRÆ DOTES AD SVMMAS  
RES ADHIBITO,  
ELOQVENTIA, CONSILIIS, LEGATIONIBVS,  
ET INGENTIBVS FACTIS PER ORBEM  
CHRISTIANVM CLARISSIMO,  
QVI VTRAQVE FORTVNA DOMITA, EXACTIS  
VITÆ ANNIS LXXVII.  
EPISCOPATI VS VIENNENSIS XXXVI. *rectius XXXII.*  
COELO JAM MATVRVS, FACVLTATES SVAS  
A DEO SIBI COMMISSIS ECCLESIIIS,  
CORPORIS VERO EXUVIAS, MERITORVM  
SVORVM DEINCEPS  
GLORIA VESTIENDVS, MORTI LVBENS  
CESSIT.  
DIE XVIII. SEPTEMBR. CID. ID. C. XXX.  
HIC AD ARAM B. V. M. SEPVLTVS.  
ANTONIVS  
EJVS IN EPISCOPATV VIENNENSI  
SVCCESOR,



INVICTISSIMORVM CÆSARVM  
FERDINANDI II. ET TERTII  
CONSILIARIVS INTIMVS, PRÆSVLI  
ÆTERNA MEMORIA DIGNISSIMO  
PIE POSVIT.

*Pag. 193. & 194.*

Anno 1631. ex nominatione Cæsaris vacanti ab obitu KLESELII VIENNENSI Ecclesiæ datus est Episcopus ANTONIUS WOLFFRATH, Abbas D. BENEDICTI Cremifanensis Asceterii, tertia Augusti die in sacra D. STEPHANI æde a Cardinali DIETRICHSTEINIO consecratus. Primus omnium VIENNENSIVM Episcoporum, qui Celsissimi S. R. I. Principis titulum obtineret, in successores posthac perpetua transmittendum. *Pag. 198.*

Anno 1639. maximo luctu, non Universitas modo, sed VIENNA omnis deslevit Celsissimum suum Principem & Episcopum ANTONIUM DE WOLFFRATH inopina morte 1. Aprilis sublatum. Coloniae Agrippinae anno 1582. natus, Romæ Theologica purpura ornatus, se se Cisterciensium in familiam ad S. CRUCEM Inferioris AUSTRIÆ abdidit: inde Claram vallem in Gallias ad probandam religionem missus, votis jam adstrictus Runense primum Cistercium in Styria incolere iussus; inde Hilariensis ejusdem Ordinis Monasterii Abbas effectus, tandiu muneri ibi præerat, dum defuncto Cremifanensi Abbate ALEXANDRO, Cæsaris MATHIÆ  
com.



commendatione, ab ejus Monasterii Religiosis Antistes postularetur. A FERDINANDO II. supremus Camerae aulicae Praeses, consilii intimi deinde Director, ac post navatam praecelaram in reformanda AUSTRIA operam Episcopus VIENNENSIS renuntiatus est. Ejus munificentiae hodiernam Episcopalem aulam Antistites debent, refertamque praestantissimis libris, ac 28. voluminibus MS., quibus documenta rerum sub RUDOLPHO, MATTHIA, ac FERDINANDO gestarum, etiam secretissima continentur, Bibliothecam. Praeripuit virum Cardinalitiae dignitati praematura mors, quam sancte, ut vixerat, anno aetatis 58. oppetiit. *P. III. pag. 216. 217. 8<sup>o</sup> 218.* Omnia ejus merita modestia animi excessit, quae eidem sequens Coenotaphium conscripsit in Sacello Sanctae CATHARINAE, ubi ipse sibi tumulum vivens posuit:

FVI  
ABBAS, EPISCOPVS, PRINCEPS.  
SVM  
PVLVIS, UMBRA, NIHIL.  
ANNO M. DC. XXXIX.

Successor PHILIPPUS FRIDERICUS e Comitibus de BREUNER monumentum Decessoris nova epigrapha ornavit, quae nigro marmori incisa sic habet:



*ANTONIO*

Religione, Prudentia, animi magnitudine,  
rerum humanarum, Divinarumque scientia iis  
comparando, quos vidit & obstupuit antiquitas.

*VIRO TRIBVS INFVLIS PARI*

Hilariensi, Cremiphaniensi, ac Pontificum  
Viennensi, Augusti Imperatoris FERDINANDI  
II. & FERDINANDI III. intimo Consiliario, ad  
Ordines sacri Romani Imperii sapientissimo  
Legato: ob labores Reipublicæ causa fortiter  
susceptos & feliciter gestos, inter Imperii Prin-  
cipes adscito.

Domi, Forisque Magno.

Ut Mortuus viveret apud posteros,

PHILIPPUS FRIDERICUS Episcopus

VIENNENSIS,

In Cathedram successor, in tumulum

Successurus posuit.

Vixit annos LVIII.

Obiit anno M. DC. XXXIX.

Calend. Aprilis.

*Hæc ex Tillmetzii Templo S. STEPHANI.*

Anno 1639. auctam nova Principis Imperii dignita-  
te sedem ANTONIUS PHILIPPO FRIDERICO e Comitibus



DE BREUNER, Canonico, & Suffraganeo Olomucensi reliquit, in quam Authoritate Apostolica jam confirmatus, 26. Decembris ejusdem anni, ipso scilicet D. STEPHANI Cathedralis Ecclesiæ Patroni die, solemni ritu est inductus. *Consp. Hist. Univ. Vienn. P. III. pag. 218.*

Inter cætera præclare facta novam majorem aram in Cathedrali VIENNÆ posuit PHILIPPUS FRIDERICUS, ut scriptura marmorea aræ scuto insculpta indicat:

*Anno Domini M. DC. XLVII. Dominica quarta post Pascha, Ego PHILIPPUS FRIDERICUS, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Viennensis S. R. I. Princeps, consecravi hoc altare, a fundamentis a me erectum in honorem S. STEPHANI Proto Martyris, & omnium Sanctorum. &c.*

Altare strui cœptum Anno 1640. perfectum anno 1647. totum ex nigro Polonico marmore, undecim ex pario marmore statuis, quas JOANNES JACOBUS POCK affabre elaboravit, ornatum. Imago S. STEPHANUM lapidibus impetum refert, quam artificii penicillo TOBIAS POCK expressit in stannea ingenti lamina a JOANNE GEORGIO DIEBALDT fusa. *Hæc ex Tillmetzio.*

Anno 1669. tumulo non sine veris bonorum omnium lacrymis illatus est Celsiss. Princeps, FRIDERICUS e Comitibus DE BREUNER, VIENNENSIVM Antistes, in Sacello maximo B. V. conditus. Epigraphe tumbæ cupræ incisa Principis optimi virtutes ita loquitur:

RE-



*REQUIESCIT IN HAC TVMBA*

*Philippus Frider. ex Comitibus de Breuner, Episcopus Viennensis, S. R. I. Princeps, ætatis suæ Anno LXXII. Præfuit Ecclesiæ huic Cathedrali annis XXX. insigni zelo, salutari verbo, & raro exemplo. Obiit in Domino die 22. Maji, Anno 1669. Consp. Histor. Univ. P. III. pag. 288.*

Anno eodem 1669. orbatae Ecclesiæ de novo Pastore providit pia LEOPOLDI Cæsaris cura, dum eidem WILDERICUM L. B. DE WALDERDORFF, Cathedralium Ecclesiarum Moguntinensis, Herbipolensis, & Spirensis respectivè Præpositum, & Canonicum, Imperii Pro-Cancellarium, præfecit. *Hist. Univ. pag. 289.*

Anno 1680. diem suum 4. Septembris obiit Reverendissimus WILDERICUS L. B. A WALDERDORFF, S. R. I. Princeps, Antistes VIENNENSIS, ætatis suæ anno 63., postquam Ecclesiæ huic annis 11. magna prudentiæ & zeli laude præfuisset. *Consp. Hist. Univ. P. III. pag. 305.*

Sepultus est in Sacello maximo B. VIRGINIS. Tombæ cupreæ inscriptum legitur:

*REQUIESCIT IN HAC TVMBA*

*Wildericus e Baronibus de Wallendorff, Episcopus Viennensis. S. R. I. Princeps. S. C. Majestatis Consiliarius intimus, Præpositus Spirensis, Canonicus Metropolit. Mogun-*



*guntinae, & Cathedralis Herbipolens. Ætatis suæ An. LXIV. Præfuit huic Cathedrali Ecclesiæ Annis XI. Obiit in Domino die IV. Septembris Anno Domini M. DC. LXXX. Ex Tillmetzio.*

Eodem anno curas, dignitatemque mortui occupavit, qui meritis & virtute sua ad hoc fastigium sibi viam straverat R. P. EMERICUS, Ord. Minorum S. FRANCISCI Capucinorum, magno honore apud LEOPOLDUM Cæsarem habitus, & per annos 22. VIENNÆ ad Scotos Ecclesiastes famosus. *Hist. Univ. pag. 305. & 306.*

Anno 1685. vivere desiit Episcopus Urbis EMERICUS SINELLIUS, qui uti ob sacram facundiam e Monasterio ad Infulam evocatus est, ita, quia hac quoque dignitate auctus piam ad concionem sæpius dicendi consuetudinem tenuit, non nisi EMERICUS Facundus audire meruit. *Hist. Univ. P. III. pag. 316.*

Præfulis hujus meritissimi Cœnotaphium in S. STEPHANI Basilica iteratis vicibus investigavi; sed frustra. In Sacello maximo B. VIRGINIS prope S. ANTONII aram, infra subsellia, quæ amoliri perarduum, sepultum esse nullus dubito. Epitaphii igitur loco ea subjicio, quæ ex Historia PP. Seraphicorum S. FRANCISCI Capucinorum fida manu accepi.



Anno 1680. Commorante Augustissimo Imperatore Leopoldo I. Lincii de Celsissimi Principis Wilderici Episcopi Viennensis, nati de Wallendorff morte nuntius venit. Unde Cæsarea sua Majestas ad contestandum Orbi, quanti sacram religionem nostram, in particulari vero R. P. Emericum Hungarum Comaromiensem, Guardianum Viennæ, de se optime meritum æstimet, eundem vacante hoc Episcopatu Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XI. præsentat, qui attentis præfati R. P. Emerici præclaris meritis de Augustissima Domo Austriaca, ac Religione Catholica, non tantum in præsentationem a Cæsare factam assentit, sed & Nuntio suo ad Aulam Cæsaream residenti, Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Francisco Bonvisio commisit; ut reluctanter præcepto S. Obedientiæ stringeret, cogeretque. Hinc habito Pontificio assensu, & tali mandato dictus R. P. Emericus in profesto S. Leopoldi die 14. Novembris pro Episcopo Viennensi denominatus, & in Sac. Rom. Imperii Principem est evectus.

Anno 1685. e vivis excessit 25. Febr. Celsissimus Princeps Emericus, Episcopus Viennensis, Provinciæ nostræ per 38. annos professus Capucinus, fervidus Pragæ, & hic Viennæ ad Scotos Concionator, Guardianus, Definitor, Custos, Missionarius in reformatione Austriæ inferioris, post Missionum Apostolicarum hujus Viennensis Nuntiaturæ Præfectus, ætatis suæ 63. in Basilica S. Stephani sepultus.

Mor-



Mortui locum non genere magis, quam virtutibus Illustrissimus ERNESTUS e Comitibus DE TRAUTSOHN occupavit. *Hist. Univ. P. III. pag. 316.*

Anno 1702. 7. Januarii e vivis excessit ERNESTUS Antistes VIENNENSIS a 24. Martii 1685. antea Canonicus Salisburgensis, & Argentinensis. *Ephemerides MS.* Conditus ante gradus Sacelli maximi B. V.

Lapidi sepulchrali inscriptum legitur:

ERNESTVS S. R. I. PRINCEPS  
EPISCOPVS VIENNÆ E COMITIBVS  
DE TRAUTSOHN

OBIIT VII. JANVARIII MDCCII.

Epitaphium sarcophago inscriptum terra occultit.

Anno eodem 7. Aprilis Episcopatus VIENNENSIS possessionem cœpit FRANCISCUS ANTONIUS e Comitibus DE HARRACH. *Cit. Ephem.*

Anno 1705. 19. Oct. FRANC. ANT. eligitur Coadjutor JOAN. ERN. Archi-Episcopi Salisburgensis; & quoniam hic oculis captus erat, ejus vices acturus Salisburgum abit anno 1706, posita quidem Insula VIENNENSI, titulo tamen S. R. I. Principis, ex JOSEPHI Cæsaris voluntate retento. Cum vero anno 1709. 20. Aprilis inter mortales esse defisset JOANNES ERNESTUS Archi-Mysta Salisburgensis, eidem pleno jure succedit FRANCISCUS ANTONIUS,



qui dein vitam produxit usque ad 18. Julii 1727. HAN-  
SIZ. T. II. Germ. S. pag. 911.

Anno 1706. Agente JOSEPHO Cæsare Cathedrali  
VIENNÆ fedi imponitur FRANCISCUS FERDINANDUS  
e Baronibus DE RUMEL, ejusdem Cæsaris quondam  
Instructor. Natus 1642. 28. Oct.

Anno 1716. vitam VIENNÆ finiit ejus Urbis An-  
tistes FRANCISCUS FERDINANDUS 15. Martii. Ejus  
coenotaphium cernitur ad cancellos Sacelli maximi B.  
VIRGINIS ex latere Evangelii.

Cœnotaphium hæc paucula continet:

SI ALIQUID EX NIHILO CERNERE CVPIS,  
SISTE! ASPICE CINERES FRANCISCI  
FERDINANDI  
EX BARONIBVS DE RVMEL EPISCOPI  
VIENNENSIS, S. R. I. PRINCIPIS!  
SI MISERICORDIA TANGERIS,  
ORA PRO EJV8 ANIMA!

Anno 1716. 10. Augusti SIGISMUNDUS Comes a  
KOLLONIZ, antea Episcopus Vaciensis, in Præsulem VIEN-  
NENSEM ad Divi STEPHANI inauguratur.

Anno 1722. 1. Junii ab INNOCENTIO XIII. Eccle-  
sia Cathedralis VIENNENSIS in METROPOLITANAM  
evehitur, eidemque Neostadiensis, antehac exemptus,  
sub-



subjicitur. Anno 1728. petente CAROLO VI., concedente BENEDICTO XIII., alter Suffraganeus additus est Officialis ac Vicarius Generalis VIENNENSIS, semper Episcopus futurus.

Novæ dignitatis insigne, & possessionem ad S. STEPHANUM 24. Febr. anni 1723. accepit SIGISMUNDUS, pallio Archi-Episcopali amictus a JOANNE MAURITIO Comite MANDERSCHIED DE PLANKENHEIM Antistite Neostadiensi.

Anno 1727. 26. Nov. Romæ a BENEDICTO XIII. Purpuratis Patribus adscribitur SIGISMUNDUS Viennensis Metropolitanæ Præsul.

Idem 4. Aprilis anni 1728. in templo aulico a CAROLO VI. Imp. rubrum ut vocant Birretum accipit.

SIGISMUNDUS Archi-Episcopus VIENNENSIS & Cardinalis, post 50. Sacerdotii annos pio aulæ præsentis & populi jubilo in Basilica S. STEPHANI solenniter ad aras litat 22. Oct. Anno 1749. subinde Augustam Familiam convivio excipit.

Anno 1750. 7. Septembris ejus Coadjutor nominatur JOANNES JOSEPHUS Comes a TRAUTSOHN Canonicus Salisburgensis & Passaviensis.

Anno 1751. 12. Aprilis sincero omnium luctu deplorata est mors Eminentissimi Cardinalis, & Archi-Episcopi nostri SIGISMUNDI, quam hac die VIENNÆ oppetiit. Sepultus ante gradus Sacelli maximi B. V.



Lapis sepulchralis sic habet:  
 SIGISMVNDVS S. R. E. CARDINALIS  
 PRESBYTER.  
 S. R. I. PRINCEPS.  
 PRIMVS ARCHI-EPISCOPVS VIENNENSIS  
 E COMITIBVS DE KOLLONIZ.  
 OBIT DIE XII. APRILIS MDCCLI.  
 ÆTATIS SVÆ SEPTVAGESIMO QVART:  
 REQVIESCAT IN PACE!

Coenotaphium a finistris muro Ecclesiæ adhærens facundius loquitur:

T. O. M.

Sta! qui nunquam non curris ad metam Vitæ!

Sta, inquam Viator, si potes, & refer:

Vel in Exemplum vel in Admirationem  
 Posterorum Memoriae

Sigismundum Cardinalem a Kolloniz  
 Archi-Præsulem terno testimonio piissimum.

Innocentia Vitæ.

Probitate Morum.

Eminentia Virtutum. Hinc recte

Eminentissimus,

Cui virtutes solum eminentes, mediocris nulla.

Tantus cum esset,

Viennensis Ecclesiæ Antistes,

S. R. I. Princeps creatus Anno MDCCXVI.

Epi-



Episcopali Infula quia dignissimus,  
meruit ac debuit favore  
CAROLI VI. Imperatoris  
Primo Viennæ Archi-Episcopali Pallio  
exornari

Anno MDCCXXIII.

Ut primus, & secundus esset;  
Ipsi insignium in Ecclesiam meritorum  
præmium Purpura  
transmittitur Anno MDCCXXVIII.

Celebrato anno MDCCXLIX. ad aras  
Sacerdotii Jubilæo,

Tempus suæ resolutionis instare videns  
Ecclesiam suam noluit relinquere Viduam:

Ideo non carne & sanguine,  
sed revelante superno Flamine sponsum elegit  
Josephum.

Quem in ipsa Divinæ Nativitatis nocte  
Archi-Episcopum Consecrans

Genuit successorem. Anno MDCCL.  
Vixit SIGISMUNDUS Dives pauperibus,  
Sibi Diviti pauper.

Ut etiam post fata esset munificus,  
Omnia sua bona testamento reliquit  
Pauperibus Orphanis.

Tandem peracto senectutis Vespere

Ple-



Plenus dierum & Gloriosus meritis  
 Post mediam noctem obdormivit in Domino  
 Anno MDCCLI. ætatis LXXV die XII. April.  
 Cui a maximo usque ad minimum parentant,  
 æternam requiem  
 Omnes devotissime precantur.

Anno 1751. in Archi-Myftæ sedem subiit ejus  
 Coadjutor JOANNES JOSEPHUS A TRAUTSOHN.

Anno 1756. JOSEPHUS Archi-Episcopus VIEN-  
 NENSIS Cardinalium Collegio adscriptus a BENEDICTO  
 XIV, ab Augusta MARIA THERESIA rubro Birreto  
 tegitur in templo aulico. 10. Junii.

Anno 1757. 10. Martii præmatureo fato extinctus  
 est JOSEPHUS Cardinalis & Archi-Præful Diœcesis hu-  
 jus. Natus Anno 1704. sepultus ante gradus Sacelli  
 maximi B. V.

Lapidi sepulchrali hæ solum insertæ literæ:

I.

S. R. E. P.

C. T. C. I.

F. A. E. V.

S. R. I. P.

A. 1757.

Novum & elegans cœnotaphium anno 1764. eidem  
 JOANNES WILHELMUS S. R. I. Princeps a TRAUTSOHN,  
 Co-



Comes in Falkenstein, Frater natu major, S. C. R. A. M.  
Aulæ Præfectus, Aurei Velleris Eques, AUSTRIÆ  
Mareschallus, unicus ex antiquissima familia superstes  
posuit. Epitaphium Purpuratus Successor sic inscribi  
voluit:

JOSEPHVS  
FILIVS JOAN. LEOP. S. R. I. PRINCIPIS.  
A. TRAVTSOHN  
GENERE. VIRTUTE. DOCTRINA.  
CONSPICVVS.  
PRIMA ADOLESCENTIA, CANONICVS  
SALISBURGENSIS, ET PATAVIENSIS.  
MOX PRÆPOSITVS SEXARDIENSIS.  
POST ARCHIEPISCOPVS VIENNENSIS.  
S. R. I. PRINCEPS.  
DENIQVE CARDINALIS.  
SVPREMVS LIBERALIVM STVDIORVM  
MODERATOR.  
MVLTIS BREVI TEMPORE REBVS GESTIS  
PRO CHRISTIANA ET CIVILI REPUBLICA  
PLVRES ET MAJORES MOLIENS  
MORTE PRÆVENTVS.  
ANNO ÆTATIS LIII. ANNO DOMINI  
M. D. CCLVII.



In defuncti locum **MARIA THERESIA** Augusta nominat **CHRISTOPHORUM ANTONIUM** Comitem a **MIGAZZI DE WAAL**, ET **SONNENTHURN**, Episcopum Waciensem.

Primam hic lucem aspexit anno 1714. 23. Octobris.

Canonicus Cathedralium Ecclesiarum, Brixinensis Anno 1732. Tridentinæ Anno 1741. Prior ad S. **LEONARDUM** Anno 1735, ad S. **ÆGIDIUM** Anno 1742.

Sacræ Romanæ Rotæ, ut vocant, Auditor anno 1745, eodemque anno Cæsareus pro magno Hetruriæ Ducatu ad Pontificem Orator.

Anno 1751. Coadjutor Archi-Episcopatus Mechliniensis, Consiliarius Cæsarearum Majestatum intimus, ac earundem ad Hispanicam aulam Legatus.

Episcopus Waciensis Anno 1756. 18. Julii.

Nominatur Archi-Episcopus **VIENNENSIS** 19. Martii Anno 1757. ac eodem anno 18. Septembris Metropolitanæ sedis hujus possessionem capit.

Renuntiatur S. R. Ecclesiæ Cardinalis a **CLEMENTE XIII.** 23. Novembris Anno 1761.

Anno 1762. 2. Martii in templo aulico rubrum Birretum accipit ex manibus **MARIÆ THERESIAE** Augustæ.

Eodem anno constituitur perpetuus Administrator Episcopatus Waciensis.



Vivit etiamnum ovis suis Purpuratus hic Pastor: & meritorum plenus nec post fata, utinam fœra! emoriatur.

---

## C A P U T XVII.

### *De Portis Urbis VIENNENSIS.*

---

**A**ntiquissimæ, quoad constat, urbis portæ fuere; prima PALLERTHOR, quæ a fabricatoribus sagittarum nomen habuit, & recte a STEYERERO in Annotationibus ad Vitam ALBERTI II. col. 261. PFEILERTHOR; a FUHRMANNO autem perperam BAUERTHOR vocatur. Omnes siquidem portæ a vicinia sua nomen traxere; constat autem portam hanc vicinas habuisse plateas duas, unam a fabricatoribus arcuum, BOGNERGASSEN, alteram a sagittarum artificibus PFEILERGASSEN compellatam. Sublata est hæc porta una cum turri 14. Julii Anno 1732. STEYERER. cit. col. 263.

Alteram portam, cum FUHRMANNO stetisse autumno prope forum, quod modo vernacula lingua AD STOCK IM EISEN dicitur.

Tertia eo loco fuerit, quo nunc carnes venales prostant. Idem FUHRMANNUS.



Quarta, quam ego Flumentanam cum CALLESIO nuncupo, aulas inter Gammingensem, & Dempflingerianam patebat eo loco, quo vel hodie antiquissimus ejus fornix conspicitur.

Quinta, quæ a Piscatoribus nomen traxit, hodie dum ad gradus Piscatorum, vulgo FISCHERSTIEGEN existat.

Sexta templo B. VIRGINIS in litore vicina erat, ac Werdanæ seu *Insularis* a vicina Danubii infula nomen habuit: sed eam dein, aucta ab OTTOCARO urbe, foras magis promotam oportuit, Danubii brachio ex SALZGRIES remotius deducto.

Septima erat FUHRMANNO teste, Olitorum porta, sita prope ædes Episcopio VIENNENSI obnoxias, easque, quibus nomen adhucdum HAYDENSCHUSS adhæret, a statua equitis sagittam ejaculantis; tali enim signo Domini de HAYDEN, quorum domus erat, in scuto suo utebantur. V. STEYERERUM in Addit. cit. col. 261. 262. &c. Unde a vero longe abest, illo simulacro indicari, eousque Turcas in prima VIENNÆ obsidione cuniculos promovisse, dum a pistoribus proderentur. Turcæ enim paganorum, seu HAYDEN nomine non veniunt: & quis credat Turcas ad medium pene urbis fodiendo progressos, ignorasse tamen se infra muros esse, quos excuterent; aut omnino intra urbem, ad quam capiendam ex improvviso erumperent.

Alio



Alio loco urbis muro viciniore, pistores vigilantia sua hostium cuniculos detexerint; unde solennem suum, quotannis feria II. Paschæ, ingressum sunt promeriti.

Civitatem antiquam auxere LEOPOLDUS Virtuofus, & potissimum Gloriosus ea, quæ circa Stubensem portam est, urbis regione, quadrantem nunc vocant. Novæ inde portæ: prima versus plateam Carinthiacam magis promota pone SINGERSTRASS, unde illi Carinthiacæ, ut modo dicimus, nomen adhæsit: Altera Stubensis, a vicinis balneis meritoriis nomen haufit. De utraque plura inferius.

Tertia a vicina forsan æde Dominorum PYBER, quorum meminit Necrologium Minorum Conventualium, Pybonis, vel Bybronis appellationem gessit, eaque esse FUHRMANNO videtur, quæ e regione domus ab albo bove nuncupatæ in vicino Conservatorii Civici angiportu hodieque conspicitur; quamvis humilior sit, ac infirmior cæteris portis antiquis. Minime autem ea est elegantis, & antiqui operis, quæ patentiore ad Civicum Conservatorium aditum præbet, in termino fori ab antiquo macello dicti conspicua; hæc enim nullam urbis portæ speciem præsefert, sed erat armamentarii civitatis, quod olim eo loco consistebat, ut videre est in Ichnographia HIRSEFOGLIANA.

Urbem denique totam OTTOCARUS Rex 24. annorum spatio, quibus hic rerum potitus est, adjectis regio-



nibus duabus Carinthiaca, & Widmeriana, in qua pars Scotensis quadrantis continetur, reparato item Pybronis districtu, muris, ac turribus firmioribus clausit. Hac ratione, absque verborum detorsione, sua iis fides constat, quæ Anonymus Zwetlensis ad annum 1276. memoriæ prodidit: *eodem anno secunda urbs Wiennæ apud portam Bybronis construitur.* Nec minus iis, quæ apud Anonymum Leobiensem ad annum 1275., legere est: *His temporibus Urbem quoque Wiennensem infra muros, apud portam Wütmarckt, valde munitam cœpit construere.* Nam & hæc partem muris clausit, & undique novos cum turribus construxit: inde tot nova portarum nomina. Libet singula perpendere.

Porta, quæ nunc Aulica, seu Palatina dicitur, recentior est OTTOCARI ætate, nec nisi sub RUDOLPHO IV. initium habuit. Antea ejus loco ex sinistra aulæ parte, ubi hodie Cæsarea Bibliotheca est, lignaria olim, seu Widmeriana porta patuit, ab omni genere lignorum, ac maxime viminum extra eam venalium, hoc nomen fortita.

Portæ huic FUHRMANNUS lignariæ quidem nomen tribuit, Widmerianæ vero negat; sed perperam: eadem quippe harum appellationum significatio. Unde dum Anonymus Leobienensis de incendio anni 1276. scribit, omnes portas urbis igne destructas esse, *præter lignorum & Carinthiorum,* Chronicon Zwetlense, usurpato



pato altero nomine ponit, *præter duas in Witmark, & Karinthianorum.* Vide STEYERERUM citatum col. 283. Apud quem item col. sequenti legere est: PETRUM Episcopum Marchopolensem, ac Suffraganeum Passaviensem, indulgentias dedisse Capellæ novæ juxta portam lignorum in Castro VIENNÆ omnibus Sanctis recentè dedicatæ, anno 1359.

Et sane portarum Viennensium nomina optime noverunt ALBERTUS II. Dux, ejusque filius RUDOLPHUS. Prior autem in literis suis datis Anno 1356. ait: *thunkund umb die newe Chapell, die unser - - Sun, herzog Rudolf in unserer Purg zu Wienn auf dem thurn bey dem Widmarthor gestiftet.* Alter vero in hanc sententiam scribit: *das wir gebauen, gestiftet, und bewidmet haben die neuen Chapellen in unserer Purg zu Wienn in dem Turn nebet Widmarthor.* Vide STEYERER. col. 258. & 259.

Sublata est autem lignaria hæc porta vero similiter sub RUDOLPHO IV. posteaquam is ad vicinam turrim templum Omnium Sanctorum excitavit, & Præpositum cum 24. Canonicorum Collegio ibidem constituit; ne videlicet commeantium ultro citroque curruum hominumque strepitus sacris obturbaret. At sublatae ejus portæ loco aliam ex dextra aulæ parte substituerit RUDOLPHUS, quam Palatinam seu aulicam compellavere.



Widmerianam portam FUHRMANNUS e regione templi S. CLARÆ sitam, & a vicino suburbio WIDEN compellatam fuisse autumat; sed ad annum usque 1572. porta ibi nulla fuit; ut patet ex typo FUHRMANNI ipsius, quo urbem a LEOPOLDO VII. auctam designat; ex Schemate Hirsfogliano anni 1547. ex tabula Orthographica GEORGII BRUINS Anno 1572. edita. Post hunc ergo annum ad prædictum locum, qua nescio de causa, translata est Carinthiaca porta, & ad annum solummodo 1671. patuit, quo LEOPOLDI I. Imperat. jussu clausa & antiquissimo suo loco, quem hodieque tenet, restituta est. Liquet hoc tum ex ipsa, quam gerit, epigraphe, tum ex informatione, quam HOLSTIUS Architectorum Militarium Tribunus de ea pristino loco restituenda mense Decembri prioris anni dederat. Hanc ego autographam inspexi in Tabulario Consilii bellici. Ex his autem, quæ memoravi, factum, ut porta illa clausa, a populo antiqua Carinthiaca, altera autem recens iterum aperta, nova diceretur.

Porta illa, vulgo antiqua Carinthiaca, ea parte, qua urbem respicit Anno 1752. 15. Decembris vi globorum pulvere pyrio factorum, & ex improvise accensorum, cum totius urbis terrore versus Civitatem excussa est. Substituta est illi deinde alia vulgaris ex lateritio fornice: exterior tamen ejus pars, quæ suburbia respicit, hodie dum integra, sed muro obstructa est, &  
ex



ex ponteac pomœriis, cum minori ostio pedites duntaxat admittente conspicitur.

Ducentis inde ad lævam passibus distat vere antiqua porta Carinthiaca, quæ aucta per OTTOCARUM urbe, Carinthiaca olim ad STOK IM EISEN abolita, huc promota est. Commonstrant hoc varii urbis typi, HIRSFoglianus, GEORGII BRUINS, ac ipsius FUHRMANNI de tempore LEOPOLDI Gloriosi.

Porta hæc Carinthiaca, rectius granaria, vel frumentaria dicitur a frumentis, quæ prope eandem, & in vico ejusdem nominis, cum olim, tum anno adhuc 1550. vendebantur. Mercatus hic nunc extra eandem portam eo loco, quem vulgo inde TRAIMMARKT vocant, celebratur; quin & hodie in vicino foro, quod novum appellant, farina ac legumina publico mercatu venalia habentur.

Edocet nos de hoc nomine Etymon reliquarum portarum, quibus omnibus vicinia nomen dedit. Confirmat HIRSFogl sua urbis Ichnographia, in qua plateam ac portam hanc KERNERSTRASS & KERNERTHOR appellat: quidquid sit de abusu vulgi voces passim adulterantis, aut de sensu eorum, qui a via Carnuntum, vel vero in Carinthiam nomenclaturam desumunt.

Inde rursus progrediendo venit ad portam balnearem antiquæ minori substitutam, vulgo STUBENTHOR, dictam a balneis meritoriis, quorum complura extra eam



variis titulis, ut *Canis*, *Cerva*, &c. constructa erant. Vox barbara *Stuben* in latino quoque sermone eo tempore usum obtinuit; unde etiam a GUIDONE Cardinali adhibita fuit in synodo VIENNÆ celebrata Anno 1267., decreto XI. contra Judæos: *Prohibemus insuper, ne stubas balneares, seu tabernas Christianorum frequentare, seu intrare præsumant.*

Procedentibus inde offert sese e regione domus ab albo bove dictæ, juxta Conservatorium Civitatis porta antiqua, tempore LEOPOLDI Gloriosi structa, quæ, ut supra meminimus, a vicinis ædibus Dominorum de PIRBER appellationem sortita est, & subinde vicino propugnaculo *Byberbastey* nomen fecit; meminit hujus portæ Chronica Australis ad annum 1276.

Inde, pone interiorem urbis murum digressis, alium in urbem aditum aperit porta a rubra turri nuncupata. Portæ huic triplex ad suburbia, & præterfluentem Danubium exitus respondet. Primus ferme e regione turris est, porta Piscatorum dictus. Alterum ad lævam præbet porta a vicino aggere SCHÄNZLTHOR appellata, alias *der obere fall*. Tertius dextrorsum euntes ad primum Danubii pontem deducit, vulgo *der untere fall*. Relicto primo Danubii ponte ulterius ad dextram procedentes excipit porta nova THERESIANA anno 1746. exstructa.



A rubra turri porro progressis obvia olim erat porta Salinaria, ab invento per eam sale nuncupata, vicina moderno Contubernio Militari; sed hæc post annum 1547. obstructa, anno 1759. abolita est. Hanc olim RICHARDI portam dictam fuisse FUHRMANNUS asserit; sed neque de hoc nomine apud ullum antiquorum Authorum, neque apud STEYERERUM in descriptione VIENNENSIVM portarum, neque in typo Hirsfogliano, neque in vetustis, quæ viderim scriptis, quidquam memoriæ proditur.

Quæ vero de Lapide illi portæ olim imposito ad fidem faciendam adducit FUHRMANNUS, nulla sunt. Vidi ego hunc Lapidem & loco suo affixum, & subinde depositum. Non ille aut RICHARDUM Regem, aut LEOPOLDUM VI. AUSTRIÆ Ducem; sed Telamones duos vexilla tenentes juxta AUSTRIÆ Principum, Provinciæ, & urbis scuta exhibet: quemadmodum & rubra turris consimiles alios, sed pictos refert. Recte hoc animadversum a Reverendiss. MARQUARDO HERGOTT; quidquid sibi CUSPINIANUS de Rege, vel Duce in eo lapide videre sit visus. Cætera antiquum plane monumentum est, ut patet aspicientibus, & ex ipsa epigraphe, quæ CUSPINIANI jam ætate oblitterata fuit, manifestum sit. Quando positum sit, mihi incertum; sub Habspurgicis certe: nam cauda pavonis galeæ imminens Habspurgicæ genti in usu erat, non Babenbergicæ.



Ulterius inde progressis occurrit porta nova sic compellata; quod portæ Werdanæ, seu Insulari, inde paulo magis remotæ substituta sit. Portam Giganteam, quæ urbem respicit, cum vicino Militum contubernio Civitas VIENNENSIS Anno 1746. construi fecit, quemadmodum Genius in parietis angulo scutis suis demonstrat.

Longo inde intervallo objicit se Porta Scotica, a finitimo Benedictinorum Scotorum Monasterio cognomen sortita. Portæ huic incumbibat quondam vastissima, & antiqua turris, quam egomet stantem etiamnum ante vidi, quam sub initium Regiminis CAROLI VI. Imp. in elegantem domum, quæ ejus portæ fornicis insiluit, converteretur.

Similibus antiquis, & vastæ molis turribus portæ quoque Carinthiaca, ac Stubensis olim defendebantur, quemadmodum videre est in delineatione urbis nostræ ab HIRSGLO Anno 1547. efformata; at subinde, cum ad hodiernæ Architectonicæ leges urbs muniretur, turres hæ solo æquatae sunt.

Aliæ veteres, aut magnæ portæ, quas videre est in murorum interiori ambitu, per cryptas fornicibus defensas ad proxima urbis propugnacula deducunt. Harum aliqua Xenodochium Civicum respiciens ad propugnaculum Carinthiacum aditum præbet: per alteram 50. inde passibus e sinistris distantem, ad officinam sulphurariam, quæ est ad pedem ejusdem propugnaculi, descenditur.



ditur. Tertia e regione Montis Pietatis ad propugnaculum, a fonte artificiali dictum, ascensum præstat. Quarta ingredientibus laboratorium armorum Cæsareorum in SEILERSTADT patet. Alia in ædibus ejus, qui Militari urbis præsidio imperat, ad interiora munimenti Brauniani quondam ducebat. Sexta in latere externo Evangelii Ecclesiæ ad Beatissimam Virginem Rotundam propugnaculum SAMBUCCI aditur. Per septimam, in angulo a porcis dicto in propugnaculum FIBRI intratur. Octava, quæ portæ novæ intra domus Custodiæ a militibus, & a gratia dictas adjacet, subitur propugnaculum novum. Nona in termino vici SALZGRIESS aditum præbet ad armamentarium navale inferius: decima in termino plateæ ab alto ponte compellatæ ad armamentarium superius. Undecima paucis passibus ad lævam remota, in via Cursorum, aditus patet ad armamentarium Cæsareum, & inde ad propugnaculum ab exilio nuncupatum. Postremam denique aula ipsa sibi vindicat, eaque propugnaculum, olim aulicum, hodie Hispaniense dictum conscenditur.

Memoriam, ut ita loquar, posthumam meretur porta illa triumphalis, per quam sedecim annis primus in aulam Cæsaream accessus erat. Priori humiliori substituta est anno 1712, eo plane tempore, quo CAROLUS VI. Coronæ accipiendæ, ac Comitiorum Pofonienfium causa, VIENNA aberat. Operis totius inventor



GUSTAVUS ADOLPHUS HERÆUS , structor JOANNES  
LUCAS DE HILDEBRAND , ille Antiquarius , hic Ar-  
chitectus Cæsareus. Moles tota ex quadris lapidibus  
tres continebat portas , quarum media & maxima cur-  
rus , utraque lateralis viatores admittebat. Portis in-  
cumberebat latum ambulacrum , utrinque cancellis e lapi-  
de munitum : cancellis urbem respicientibus super majori  
porta insitit Atlas ingentem cœli globum , Imperii sym-  
bolum fulciens humeris ; ex una parte Virgo columnæ  
innixa , ex altera Hercules cum clava , Constantiam  
& Fortitudinem , symbolum , & virtutes CAROLI VI.  
exhibentes , quibus molem Imperii sustentat. Atlantis  
basi inscriptum legebatur majusculis :

IMPERANTE

CÆS. AVG.

CAROLO VI.

PIO FE. VICTORE P. P.

PORTA PALATII

RENOVATA A. ER. CH.

MDCC. XII. IMP. I.

Infra Atlantem , inter Genios Belli & Pacis , scu-  
tum Imperii biceps Aquila , in pectore initiales CARO-  
LI Cæsaris literas , sese invicem complectentes ostentabat.

Fornicis lapidi medio Jani bifrontis facies , Provi-  
dentia nota , insculpta erat.

Areæ



Areæ minoribus portis imminentes anaglypho opere referebant ex parte urbis, una abitum CAROLI in Hispaniam, sub schemate Argonautarum Vellus aureum quærentium, cum lemmate:

*Sic patriam fugimus.*

Altera Italiam Jasoni cum Vellere aureo redeunti gratulantem, cum epigraphæ:

*Quanta per æquora vectum accipio?*

Tertia aulam respiciens, Barcinonem sole obscurato obsidione liberatam; adjecta Virgillii verba:

*Tibi Signa dedit.*

Sol nempe Eclipsim ea die passus, obscurandæ hostium gloriæ signum.

Quarta in area versus aulam visebatur Alcides ad suas columnas quiescens, tres tenens coronas laureas, totidem demonstrans victorias anno uno nempe 1710, a CAROLO in Hispania obtentas, ad Almenaram, Cæsar-Augustam, & Villam Vitiosam. Inscriptio:

*Ter Victor in anno.*

In cancellis quatuor trophæa aulam, duo urbem respiciebant.

Hæc



Hæc porta sublata est anno 1728, dum novum Cancellariæ, ut vocant, Imperialis Palatium confurgeret; ornant hoc quatuor Herculis labores molis immanis, opus LAURENTII MATIELLI: continuandi, si novam aula reliqua formam induerit. Antæus, Bufiris, leo Lybicus, & Minotaurus, Herculea manu subacti, cæteros præstolantur.

---

## C A P U T XVIII.

*De Turribus Viennensibus,munitioni urbis servientibus.*

---

**P**luribus olim turribus urbs nostra cincta fuit: mihi de notioribus duntaxat agere visum, aut quarum vestigia nostra etiam ætate supererant.

Vastæ molis turris, quam Scotensi portæ impositam meminimus, nostro ævo diruta est.

Consimilibus duabus turribus & Stubensem & Carinthiacam portam defensam fuisse ex Hirsfogliana urbis nostræ ichnographia cernitur, quas proin non nisi post annum 1547. dirutas oportuit.

Ex schemate eodem, quin solo oculorum intuitu patet, antiqui operis turrim, sed grandem stetisse a  
tergo



tergo conservatorii Civici: per portam antiquam Fibri, aream interiorem subeuntibus, quasi ante oculos est.

Turris alia alta & robusta stetit ad latus finistrum propugnaculi a Fibro dicti, e regione villæ Laurentianarum Virginum, & a bufonibus nomen habuit. Anno 1732. destructa est, & in ejus locum Danubium versus domus privata, urbem versus conservatorium halecum surrexit. Hæc Turris antiqua in Typo Hirsfogliano conspicitur.

Celsam aliam, veteremque turrim, subter quam latus transitus patet, videre est ea urbis regione, quam vernacula lingua angulum a porcis vocitant. Hanc in turrim, quæ FACHTHURN, velut Pharus in Danubio navigantibus appellatur, WENCESLAUM inertem, Imperatorem & Bohemiæ Regem, a fratre suo SIGISMUNDO Hungariæ Rege, mense Junio anni 1394. die S. MARCELLINO sacra ad custodiam missum ajunt, ex qua is ope piscatoris sericea zona delapsus, festa S. MARTINI luce una cum liberatore suo Pragam feliciter tenuerit. Historia hæc, aut verius fabula DUBRAVII est & HAGECII, ex quibus alii sumpserunt. Melius rem, ut gesta est, narrat Appendix ad Chronicon HAGENI apud HIERON. PEZIUM T. I. pag. 1165. Sic autem habet:

*Do rueffen die Herrn und Landleuth seinen Bruder Sigmund von Ungern. Der kham gen Prag, und mag kein end an den Wenzla nicht haben. Do vieng Er Ihn, Notit. Vindob. Cc und*



und sein Vetter Procopium, und führt sie gen Schaumberg (Arx prope Efferdingam) das der Graff von Cili, und Margraff Albrecht - - und furen alle gen Wienn an Sant Larenzen abend.

Anno 1402. der Sigmund empfalich sein Bruder Wenzla Herzogen Albrechten, und Wilbalmen, dy betten sein Vast ain halb Jahr in der Burgk ze Wienn. Darnach lassen sie ihn lusum, lege: herumreithen in dy Statt, und auf das Veld, und sollen all Tag end zwischen den Brüdern machen, und teten des nicht.

Ob hanc WENCESLAO indultam libertatem graviter ALBERTO & WILHELMO succensuit SIGISMUNDUS, arciusque custodiendum mandavit. Unde sequitur:

Do gab Herzog Wilbalm dem Kunig ain Haufs an Kienmarkbt, da het er sein Beheim inn, und spazirt all Tag zu Ihn; also war Er zu Wienn ain Jahr. Do brach Er durch ein Boden in ein Marstall, und raitt selb fünster gen Stadlau, und kham bin gen Vesperzeit. Do Er überfur, da wart sein Herr Hans von Liechtenstain mit 50. Schützen, und führt Ihn gen Niklspurg, und schikt Ihn haim gen Prag. Breve Chronicon coævi Scriptoris, in Tabulario ad S. DOROTHEAM, per latrinam WENCESLAUM 1403. evasisse scribit, quod facile cum priori componitur. Adnotare hic libet, domum hanc, ex qua WENCESLAUS elapsus est, ob ejus in illa, tanquam Regia sua, commorationem,

Pra-



Pragensem dictam esse: Ita testatur nota ad c. 23. DUBRAVII apud FREHERUM, & HIRSGLOGL in sua VIENNENSIS urbis Ichnographia. Hodie ab officio salis, vulgo SALZAMBT, nomen fert, atque adhucdum duabus turribus instructa fuisse videtur.

Ut ad turrem urbis redeamus, ultimo memoratam consequitur turris rubra, celsitudine autem sua, aut firmitate hactenus relatas non adæquat. A MAXIMILIANO I. Imp. vel primitus educatam, vel reparatam docet Epigraphe Anni 1511. Picturam reliquam cum adjectis versibus ætas propediem delebit; æquum igitur eam hic saltem aliquo modo ab interitu vindicari.

Inter duos Telamones, qui vexillis suis, alter insigne Provinciæ fasciam albam, alter urbis Crucem albam in rubro campo ostentant, videntur scuta Imperii, Austriæ, Burgundiæ, scutum Civitatis cum aquila duplici, & alterum cum Cruce alba. Hæc inter sinuatis veluti schedis inscripti leguntur versus sequentes:

Quam felix urbs est, quæ pacis tempore bellum

Ante oculos ponit, & sua quæque notat.

In cassum vigilat, qui custodire putabit

Urbem armis, si non arma Dei affuerint.

Sed Deus & virtus tutantur MAXIMILIANI

Cæsaris hæc urbis moenia cum populo.



Inter turrim rubram, & portam novam, a sinistris juxta aulam Gammingensem eminent turre alia, nunc lamina tecta, quam in primæ urbis præsidium positam inde conjicitur, quod aptis ad emittenda tela, aliave defensionis instrumenta, foraminibus instructa sit.

E regione portæ novæ in inferiori Passaviensi aula spectatur turris celsæ, & antiquæ molis. Insignia, quæ gerebat ab Hungaris, sub MATHIA Rege VIENNAM ex insula oppugnantibus, deleta opinatur doctissimus SCHWANDNERUS.

Armamentarium navale inferius ad initium canalise e regione S. ROCHI antiquissimæ, & firmissimæ turris vestigia ostentat. Nunc turri illi contigua domus infistit; portæ autem ingentis, qua transitus patebat, spatium Officina ferraria occupat: ego existimo novam hic Werdanam portam fuisse.

Haud procul ab interiori latere sinistro propugnaculi de exilio nuncupati, in mœniis alia turris solidi operis, & ævi cernitur, quæ Judæorum turris audit. Hanc & priorem a Romanis structam opinatur FUHRMANNUS; sed obstant, quæ suo loco retuli: & in comperto est, quantam in solidissimis substructionibus edax rerum tempus, & oppugnatio gemina atterere possit. Atque inde factum; ut turres hæ attritis, qui extabant lapidibus, remotissimam ætatem mentiantur. Exempla paucis ab

hinc



hinc annis dabant propugnaculum aulæ interius, & superius Patrum Prædicatorum.

Aula vetus ab OTTOCARO cœpta, & ab ALBERTO I. perfecta, quatuor turribus totidemque fossis munita fuit. Fossæ hodieque existunt: turres sublatae omnes. Quæ juxta facellum aulicum steterat, diruta est Anno 1699, postquam 16. Julii ab incendio aulam servasset, ipsa vero periisset; locus subinde aulicorum habitationi aptatus est.

Altera, quæ portæ Palatii contigua fuerat, cum anno 1753. mense Aprili dejiceretur, extinctum una est monumentum, quod LEOPOLDUS Imp. anno 1670. in ejus tecto constitui jusserat: Cervus nimirum fugiens, canis fugientem persequens, ac venator trajiciens. Mne-mosynon posteris: eo olim loco non aulam, sed syl-vam fuisse. Tale monumentum itidem habet forum STOCK IM EISEN dictum: truncum nempe arboris ferreo circulo inclusum; ceu reliquias sylvæ ibi antiquitus sitæ.

Turris aulæ tertia, scholæ equestri, quæ ætate duntaxat usui est, vicina dejecta fuit 1756. mense Majo, eo quod subjectis conclavibus pondere suo ruinam minaretur; quæ item causa fuit ejus, quam priore loco memoravimus, dejiciendæ.

Quartæ turris, cui versus Cancellariam Imperialem statio fuit, nullis in chartis topographicis expressa deli-



neatio invenitur: prominentes tamen, sicut in cæteris aulae angulis, ita in hoc quoque extra reliquum aedificium muri, eam exstitisse demonstrant.

Turrim denique antiquam, quæ portæ incumbibat a sagittarum artificibus nomen gerenti, ad laxandum viæ spatium Anno 1732. 14. Julii solo æquare placuit.

## C A P U T XIX.

### *De Studio VIENNENSI.*

**H**aud dubium est, VIENNÆ inde ab origine sua ludum aliquem literarium fuisse; quando vix ullus tam ignobilis pagus, qui ejusmodi juventutis suæ Præceptorem non alat.

Marchionum tamen, ac subinde Ducum cura ita liberales disciplinæ auctæ sunt, ut ipsi earum sibi Præfectum nominandum reservarent; ita testatur ALBERTUS I. in literis datis 1296.

Princeps Schola ad S. STEPHANI eo loco, quem hodie sacrorum Curionum domicilium ex parte occupat, patuit, ac etiamnum perdurat, sub ejus cura, cui Rectoris Scholæ ad S. STEPHANUM nomen est.

Scho-



Scholæ reliquæ, quarum aliqua prope S. MICHAEL-  
LEM, alia in foro a Judæis dicto, alia in Xenodochio  
Civico, aliæ aliis locis, huic subjectæ erant; quemad-  
modum in Decreto ALBERTI III. legitur.

ANNO 1237. FRIDERICUS II. Imperat. VIENNÆ,  
tanquam urbi, quam Imperio adscribebat, amplius aliquid  
contribuit; in suis enim literis, datis mense Aprili, Do-  
ctorum, seu Professorum, ac Facultatum mentionem  
facit, sibi ac secuturis Imperatoribus supremum Scho-  
larum Moderatorem constituendi jus reservat. Quid  
autem, quæso, cæsarea autoritate opus ad creandum  
Iudimagistrum? qui Doctorum gradus, quæ Facultatum  
distinctarum classes in Pædagogis, aut privatis de trivio  
scholis reperiuntur?

Sed neque dubitare fas est, an genuinæ sint hæc  
FRIDERICI literæ; RUDOLPHUS enim Rex, ejusque  
filius ALBERTUS, uterque VIENNÆ existens illas iis-  
dem propemodum verbis confirmarunt: ac ille quidem  
Anno 1278. VIII. Cal. Junii, hic autem festo S. JACOBI  
anno 1282.

Verba ipsa, de quibus lis est, ex RUDOLPHI Cæ-  
saris Privilegio exscribere placuit. Sunt autem hæc:  
*Volumus etiam commode (lege commodo, prout ha-  
bet Diploma FRIDERICI) studentium provideri, per  
quod prudentia docetur in populis, & rudis ætas instruitur  
puerorum: potestatem damus plenariam Magistro, qui  
Wienne.*



*Wienne per nos, vel successores nostros ad Scholarum regimen assumetur; ut alios sibi Doctores in facultatibus substituat, & de consilio prudentum virorum Civitatis ejusdem, si (lege qui, ut rursus habet Diploma Fridericianum) habeantur sufficientes, & idonei circa suorum studium Auditorum.*

Observanda hic in rem nostram aliqua, verborumque vis ponderanda. *Prudentiam*, ait Imperator, doceri a *Doctoribus*, singulis in *facultatibus* constituendis: non itaque Grammaticæ solius tradendæ potestatem facit. Addit: *per nos vel successores nostros Magister assumetur, ad Scholarum regimen.* Id autem de schola unica, eaque hujusmodi, ut sunt in triviis, an dici ex vero potest? an scholarum ejusmodi, quamvis plurium Moderatorem constituendi cura e Romanorum Imperatorum dignitate esset?

Pergit RUDOLPHUS: supremo huic scholarum Magistro a se, vel successoribus suis creato potestatem fore, *alios sibi in facultatibus Doctores substituendi.* An vox ea (*facultatibus*) de solis Grammaticæ, ac Humanitatis artibus: an altera (*Doctores*) de Pædagogis accipi nisi absurde potest?

Sed & perperam geminam hanc vocem RUDOLPHI literis intrusam objectat TILLMEZIUS. Est enim nobis testis, omni fide dignus, Vir Clarissimus PHILIP. JACOB. LAMBACHERUS, urbi a secretis, Tabulario, & Biblio-



Bibliothecæ Præfectus, eam esse in apographo RUDOLPHI Regis Diplomate, quod cum cæteris monumentis insertum est Libro, quem Ferreum dicunt, Tabularii Civitatis; cui quidem Codici ex FRIDERICI Pulchri Imp. mandato sua ubique vis ac authoritas sancta esse debet. Rudolphini decreti verba, ut supra allata sunt, ipse ego legi non solum in libro Ferreo, sed & in Chronica Australi completa & antiquissima, quæ asservatur in Bibliotheca Collegii Neostadiensis S. J. Idem testatur Chronologia Diplomatica Universitatis VIENNENSIS, paucis abhinc annis edita.

Non diffiteor tamen ALBERTI I. Decretum, datum anno 1296. Dominica *Invocavit*, seu prima Quadragesimæ, quo Senatui VIENNENSI jus impertit, Rectorem constituendi literario ad S. STEPHANUM ludo, verbis uti paulo humilioribus, ac infra Academiæ dignitatem. Vide TILLMEZII conspectum Historiæ Univerf. Vienn. P. I. p. 3. Chronologiam item Diplomaticam ejusdem Universitatis. At fortassis amplius quid a FRIDERICO II. & RUDOLPHO I. Cæsare indultum est Urbi nostræ, tanquam Imperio adscriptæ, quod postmodum ALBERTUS Imperator, jamque AUSTRIÆ Dux, eidem ut sibi subditæ, nec multum antea seditiosæ indulgere non voluit, sed restringere.

Non obstant hæc literæ, quo minus STEYERERUS ipse, vel ante RUDOLPHUM IV. Artium, Philosophiæ  
*Notit. Vindob.*                      Dd                      &



& Matheſeos diſciplinæ VIENNÆ a publicis Magiſtris traditas fuiſſe affirmet, productis in hanc rem ipſis Uniuerſitatis huius Conditorum, RUDOLPHI IV. & ALBERTI III. literis, nec non novis eo tempore Uniuerſitatis ſtatutis. Unde factum, ut vel conſtituta jam VIENNÆ plena ſtudioꝝ Uniuerſitate, præter ludi Magiſtros alios, variis in urbis locis iuuentutem informantes, quatuor item Magiſtri alii, quorum unus Reſtor Scholæ ad S. STEPHANI, liberales artes, Philoſophiam, & Matheſim publice prælegere pergerent, atque, ut patet ex Decreto ALBERTI III. dato 1384, eas prælectiones porro continuare iuberentur.

Ex quibus quid conſicitur aliud, quam a FRIDERICO II. Imp. prima Uniuerſitatis fundamenta jacta, & Academiam hic conſtitutam. Conditæ autem anno 1365. Uniuerſitatis, & inueſti anno 1384. Theologiſti ſtudii gloriam RUDOLPHO IV. & ALBERTO III. AUSTRIÆ Ducibus, nec non URBANIS V. & VI. ſummis Pontificibus lubentes impertimur.





## CAPUT XX.

*De Moneta Urbis VIENNENSIS, & Ducum AUSTRIÆ,  
usque ad Habsburgicos.*

**S**tudiose in hunc locum hoc argumentum a me rejectum est, tum quod in incerto fere positum, tum quod paucissimi nummi hodie supersunt, qui illius ævi AUSTRIÆ Principibus, urbe nostræ tribui certo possint.

Similes illis nummos, quos Reverendissimus HERGOTT producit, & præter hos, alios quoque meo in Cymelio videre est; singularis tamen ille, in cujus antica parte effigies Principis sedentis, in capite pileus Ducalis, in sinistra sceptrum lilio coronatum cum epigraphe: DVX LIVPOLD- - In averfa parte figura ornatum fornicem sustinens, sine inscriptione. Confimilis huic nummus est, sed paulo melius conservatus in Musæo Spectabilis Domini XAVERII DE MANAGETTA. Averfa pars LEOPOLDI Virtuosi, vel Gloriosi ætatem notat.

Quod autem hoc in argumento controvertitur, solisne Ducibus, an Civitati quoque cudendæ monetæ jus antiquitus fuerit, in eo contra Reverendissimum Patrem MARQUARDUM sentio, utrisque hoc jus tribuens.



Anno quippe 1228. circiter evocatos e Flandria constat a LEOPOLDO Glorioso gnaros flandæ feriundæque monetæ Artifices, eisque jus civitatis impertitum: ergo inter cives adscripti; Flandrenses enim hos Burgenfes, ut alios cives nominat.

At inquires, exemptos a Prætoris Urbani potestate, fui duntaxat ærarii Præfecto eos Dux subjecit; id ego, qua sermo est de re Monetaria, non abnuo: quoad cætera soli ærarii Præfecto, longiori saltem tempore, vel semper subjectos fuisse ut credam, RUDOLPHI I. Privilegio infra exhibendo prohibeor.

Porro, si LEOPOLDUS Dux Flandrenses suæ monetæ Camerario (ut ait) subjecit, jam antea officinam Monetariam propriam habuit, ut ex ipsis testibus LEOPOLDI Decreto adscriptis patescit; neque enim ut testes subscribunt, quibus beneficium impertimur; sunt autem: DIETRICUS Magister Monetæ, RUDEGERUS Incisor, HEINRICUS socius ejus, MAHEFRIDUS Monetarius, & ALBERTUS Chlebarius, forsan Chalybarius. Ita legitur apud Reverendum MARQUARDUM HERGOTT Tom. I. Mon. Dom. Austr. p. 249.

Quod si Dux jam prius Artifices suos Monetarios habuit, & Flandrenses suo duntaxat servitio accersivit, quid opus exemptione eorum, qui ad civitatem nihil attingebant?

Sed



Sed dubium omne RUDOLPHI I. Diplomate tollitur. Hoc non Duci, qui tum nullus erat, sed VIENNENSIBUS datum anno 1278, & anno 1282. ab ALBERTO I. pro patre Cæsare terras has administrante in festo S. JACOBI repetitum est.

Referuntur hæc literæ a JOANN. JACOB. MOSER DE FILSEK, & WBYCHLERBERG, in Bibl. MS. pag. 116. exscriptæque sunt ex antiquo papyraceo codice Monasterii B. V. ad Scotos, in quo tamen annus ac dies desiderantur. Hujus causa inde petenda, quod hæc literæ tantum sint fragmentum integri Diplomatis Rudolphini VIENNENSIBUS dati. Codici, ex quo MOSERUS exscripsit, consentit alius, quem proprium possidet Vir clarissimus JOANN. GEORGIUS SCHWANDNERUS. Exaratus is est in charta vulgari Anno 1435. atque hunc titulum præfert: *Das sind dem Recht der Stat ze Wienn.* Rubrica hæc docet hoc libro contineri jura, & privilegia Civitatis: ergo etiam jus Monetæ, de quo insertæ literæ loquuntur.

Literæ autem ipsæ RUDOLPHI tenoris sunt sequentis: *Wir Rudolph - - thun Kund allen - - , das unser lieben getrewen hausgenossen unser gnad fleissigligen paten, das wir in ihr recht, dy sy habent gehabt von den edlen Herrn Herzog Leupolden, Herzog Fridrichen, En, der auch etwenn Fürst in Oestereich gewesen ist, bestetigten, und bewerkten mit unser Handvest. Daran haben wir sw er-  
Dd 3 hört,*



*hört, und haben in all irre Recht bestetigt mit unſer hand-  
veſt, als hernach geſchriben ſtet.*

His verbis non novum aliquod privilegium Civitati impertit RUDOLPHUS, ſed antiquum aliquod jus, quo ſub LEOPOLDO, ac FRIDERICO jam gaudebat, confirmat. Unde manifeſtum fit jam ſub his Principibus ſignandæ, cudendæque Monetæ jus, aut potius privilegium urbi noſtræ fuiſſe. Ad hæc notandum: ſub voce *Hausgenossen* Monetarios urbis designatos videri, eodem nempe, qui ſupra Flandrenſes nominati.

Pergit RUDOLPHUS: *Das erſt, das wir wollen, das dy hausgenossen, und all ihr diener, dy zu der Münz helfen, alle gemein gebörent in unſer Cammer.*

Quatuor deinde ſequentibus paginis de jure agit Imperator, quod Magiſtro Monetæ, ejusque ſociis competeret. Quo loco de auri, argenti, nummorumque permutatione ac uſu in civili commercio, de exploranda eorum probitate, de monetis adulterinis, de authoritate item dicti Magiſtri Monetarii, quantumque urbis Prætori in eum jus fit, multis pertractatur.

Ex quibus perſpicuum fit, Monetarios hos etiam Judici Civitatis ex parte obnoxios fuiſſe. Quin LAZIUS Rer. Vienn. l. 4. c. 9. teſtatur Magiſtros Monetæ proximam a Prætoſe ſedem in ſenatu, quin ipſos conſulares faſces sæpius tenuiſſe.



Cæterum, quod de forma, pondere, pretio, nomine ac numero monetarum ejus ætatis memorarem, scitu dignum nihil reperi, præterquam geminum hoc, quod subjungo. Primo sub medium literarum Rudolphinarum isthæc verba legi: *Wir wollen auch, ob der Fürst des Lands wollt pfening erneuren mit einem einfeltigen Eysen, das solle nynders geschehen, dan zw Wyen, zu der Newenstatt, und zu Enns. Und sullen auch der Eysin bütten mit guten fleys dy Hausgenossen.* Alterum autem est, quod a LAZIO refertur, habuisse nimirum VIENNENSES jus cudendi nummos argenteos minores, & majores quadrangulares.

Conficiuntur ex his tria: Primum, jam sub Principibus Babenbergicis FRIDERICO Bellicoso, ac ejus patre LEOPOLDO Glorioso, a quo & Flandrici illi Monetarum signatores accersiti sunt, cudendæ monetæ jus VIENNAM habuisse. Monetariis his platea, inde MÜNZERSTRASSEN dicta, elegantibus ædibus & tum & hodie conspicua, habitationem præbuit.

Alterum est, a RUDOLPHO Civitati ac futuris Principibus unam tantum monetæ faciem signandi potestatem factam esse; quanquam adductus supra nummus doceat jam LEOPOLDI Gloriosi, vel Virtuosi, tempore monetæ utraque parte signatæ usum fuisse, saltem AUSTRIÆ Principibus.



Tertium est: Officinas Monetarias in AUSTRIA tres eo tempore fuisse VIENNÆ nimirum, NEOSTADII, ac LAUREACI, seu ANASIBURGI, quæ tamen duæ posteriores illi, quæ in urbe nostra erat, obnoxia fuerint. VIENNENSIS crucem, insigne nempe suum, nummis impressit, quorum cum antiquissimi etiamnum existent, grave iis, quæ hic de vetusto Urbis privilegio monetas cudendi, & supra de scuti hujus antiquitate statuimus, pondus adjiciunt.

Subjicio his Syllabum Præfectorum rei Monetariæ, seu ut compellabantur, Magistrorum Monetæ, qui mihi seu ex LAZIO, seu aliunde innotuere.

Anno circiter 1228. sub LEOPOLDO Glorioso Magister Monetæ legitur DIETRICUS, ut supra ostensum.

Anno 1289. FRIDERICUS LEUBL.

Anno 1290. CUNO, non quidem ex ordine Fratrum Minorum, ut opinatur HANTHALLERUS, sed ex familia eorum, qui ob habitationis viciniam Domini circa, vel prope Fratres nominati sunt; ut legere est in Necrologio Minorum, & in Diplomate ALBERTI III., quo Universitatem ad eorundem Minorum viciniam transfert. LAZIUS in Familiis urbis VIENNENSIS eos vocat: INNERE BRÜDER, ac subinde Dominos de PÜRSENDORF cognominatos refert.

Anno 1300. Iterum FRIDERICUS LEUBL.

Anno 1332. BERNARDUS CRONVEST vel CRON-  
NEST. Anno



Anno 1370. MICHAEL GEYKRAMER.

Anno 1408. NICOLAUS GEYKRAMER.

Anno 1420. ULRICUS GUNDLACH.

Anno 1430. NICOLAUS UNTER DEN HIMMEL.

Anno 1442. THOMAS MOINGUS.

Anno 1458. FRIDERICUS IV. Imp. privilegium signandæ Monetæ VIENNENSI Civitati ademptum in quosdam e Nobilibus transtulit; unde tanta rei monetariæ ruina subsecuta est, ut nummi ejus ævi per contemptum SCHINDERLING, abjectissimo sane nomine, traducerentur.

Nota tamen, in charta FRIDERICI IV. Imperatoris data Græcii 1484. iterum Magistrum Monetæ legi JOANNEM WIELANDT DE WESL: unde conficio FRIDERICUM IV. veniam monetæ cudendæ Nobilibus iterum ademisse, propriumque Monetæ suæ Magistrum rursus constituisse.

Neque tamen quod primum, & ultimum omiserit, culpandus LAZIUS; is enim Magistros monetæ urbanæ solum recenset: illi autem Magistri Monetæ Principis fuere.

Anno 1520. Proceres non nulli ex AUSTRIA minus addicti CAROLO, ac FERDINANDO Principibus, ad quos hæ provincię hæreditario jure devolutæ erant, signandæ monetæ novum quoddam jus sibi arrogarunt, creato Rei Monetariæ Præfecto JOANNE SCHWARZ; sed is

*Notit. Vindob.*

Ee

Anno



Anno 1522. suo cum capite munus hoc NEOSTADII  
posuit.

---



---

C A P U T XXI.

*De variis dominiorum, ac bellorum vicibus, quas VIEN-  
NA experta est, deque uiteriori ejusdem ad ætatem  
usque nostram munitione.*

---

**V**rbs nostra ab origine Vinidorum erat, qui eam con-  
didere. Romano Imperio accessit anno reparatæ salu-  
tis VII. vel VIII.

Anno C. 262. GALLIENUS Imperator ATTALO  
Marcomanorum Regi, cujus filiam PIPARAM, dein  
CORNELIAM SALONINAM dictam, deamavit, atque  
etiam in conjugem accepit, Pannoniæ superioris partem,  
quidni & VINDOBONAM cessit. AUREL. VICT. Epit. c. 33.

Anno C. 268. a CLAUDIO Gothico Imperatore trans  
Danubium rejectus est ATTALUS, teste EUTROPIO l. 9.  
c. 6. & 8.

Anno 451. ab Hunnis sub ATILA Rege VIEN-  
NA vastatur.



Sublato anno 454. **ATTILA** in Romanorum potestatem **VIENNA** redit, qui tamen crescente in Pannonia Gothorum potentia suum in urbem nostram ac viciniam imperium cum Rugis ultro communicant.

Anno 488. Romanis, & Rugis in Italiam ab **ODOACRO** deportatis, vacuas eorum fedes Longobardi occupant, ac **VIENNAM** instaurant.

Anno 568. Longobardi Italiam petunt, & has terras Hunn - Avaribus belli focis cedunt.

Annus 791. compensavit superiorum annorum calamitates, quo nempe hæ regiones a Victore Magno **CAROLO**, nobilis sane portio, Imperio Germanico adjectæ sunt.

Anno 900. ad antiquas possessiones suas Hungari redire cœperunt, atque regionem hanc, in eaque Urbem quoque nostram tenuere, dominio subinde ad Anasum usque promoti.

Anno 1042. ab **ADALBERTO** Marchione Hungaris iterum eripitur **VIENNENSIS** ager Heimburgum usque.

Anno 1236. **FRIDERICUS II.** Imp. **VIENNAM** occupat, eamque anno sequenti Imperii urbibus accenset.

Anno 1240. **FRIDERICUS** Bellicosus **AUSTRIÆ** Dux Civitatem nostram fame domitam, ditioni suæ postliminio subjicit.

Illo autem defuncto 1246. urbis possessionem iterum capit **FRIDERICUS** Imperator.



Anno 1252. OTTOCARUS VIENNAM nomine uxorio tenet, & usque ad annum 1276. retinet.

Dicto anno RUDOLPHUS Rex Romanorum OTTOCARO Bohemiæ Regi post quinque hebdomadarum obsidionem VIENNAM eripit, ac iterum Imperii urbibus adscribit.

Anno subinde 1282. ALBERTO, & RUDOLPHO filiis feudi nomine VIENNAM cum Austriacis terris largitur, dominio primum inter utrumque communi; anno autem sequente in solum ALBERTUM translato.

Anno 1446. VIENNENSES suburbiis suis, inde a Parthenone S. NICOLAI in Via Regia, fossas ac sepimenta circumducunt. FUHRMANNUS ad hunc annum.

Anno 1477. quo MATHIAS Hungariæ Rex VIENNAM obsidione pressit, ipsæ urbis fossæ altius erutæ, & valla, qua ruinam fecerant, reparata sunt. Demum 21. Decembris, inita cum FRIDERICO Imp. conventionne, 27 hebdomadarum obsidium solvit MATHIAS Rex, qui obsidionis tempore Nicolstorffii castra Prætoria habuit.

Anno 1485. Irritatus MATHIAS denuo VIENNAM oppugnandam suscipit, & arctiorem illi obsidionem mense Aprili admovet: quare coacti fame cives sese sub Maji finem dedidere.

1. Junii Rex, quinta subinde BEATRIX Regina solenni pompa urbem subiere.

Sed



Sed diuturna Regi ea lætitia non fuit; post quinquen-  
nium enim, anno nempe 1490. 5. Aprilis apoplectico  
fulmine ictus, in palatio quod sibi construi hic fecerat,  
animam efflavit, annos natus 47.

Intellecta MATHIÆ morte brevi adfuit MAXIMI-  
LIANUS I. Rom. Rex; 20. Augusti VIENNAM ingre-  
ditur, & 22. aulam oppugnat, postque paucorum die-  
rum acerrimam oppugnationem, in qua ipse MAXIMI-  
LIANUS læsus est, arce etiam, seu aula potitur, inita  
cum defensoribus certis legibus pactione. FRIDERICUS  
tamen pater ac Imperator urbem nostram nunquam re-  
vifit.

Anno 1529. Austriacis terris Imperante FERDI-  
NANDO I. Archiduce, PHILIPPUS Princeps Palatinus  
Rheni, triduo ante Turcarum adventum, appulfus,  
urbis nostræ defensionem contra Turcas suscipit. Præ-  
sidium ex Hispanis, Styris, Bohemis, Austriacis aliif-  
que nationibus conflatum 20. peditum, duobus equitum  
millibus definiebatur.

Aggerem suburbiis circumductum, quia amplio-  
rem, propugnare e re non visum; unde injectus suburbiis ignis,  
quo 800. domus cum templis ac cœnobiis haustæ sunt.

21. Septembris, equites Turcæ urbem cinxere;  
igitur portæ omnes obstructæ præter salinariam ex-  
cursionibus faciendis servitutam: excitata item tumul-  
tuario labore propugnacula aliquot, aliaque bellica opera.



25. Septemb. duæ Norimbergensium turmæ urbi, hoste non obstante, feliciter injectæ.

14. Octob. nuntiato FERDINANDI Regis, ac FRIDERICI Palatini Rheni adventu cum numerosis auxiliariis copiis, SOLYMANUS Turcarum Imperator, viginti assultibus nequidquam tentatis, ac amissis viginti suorum millibus noctu ab urbe exercitum deducit; multis tamen millibus ex AUSTRIÆ, & STYRIÆ incolis in captivitatem abstractis.

15. Octobris resonante omni ære campano, Sanctissimæ TRIADI ad D. STEPHANUM ob liberatam urbem gratiæ persolutæ, in cujus defensione 1500. Christiani pugiles gloriosa morte occubuere. Vespere omnes machinæ bellicæ in lætitiæ signum solutæ, quibus impari boatu e longinquo Turcæ tormentis suis respondere.

Anno 1532. ob novæ obsidionis, a Turcis impendentis metum a FERDINANDO jam Romanorum Rege labor publicus pro munienda urbe indictus.

3. Octob. ejusdem anni CAROLUS V. Imp. Oeniponte VIENNAM aqua devectus, cum fratre FERDINANDO Rege urbem subit. Subinde Hungaricam vestem Hungarorum gratia indutus per pontes egreditur, ac collectum in adversa Danubii ripa exercitum lustrat. Numerata sunt peditum nonaginta, equitum triginta milia; nihil tamen tantis copiis tentatum. FUHRMANNUS ad hunc annum.

Anno



Anno 1536. FERDINANDUS aulam, qua e prima oppugnatione vitium traxerat, restaurat. Exstat ejus rei monumentum marmor aulæ muro inhærens, quod aream primam nunc ingredientibus ad lævam sese offert, cum sequenti epigraphè:

DIVO REGNANTE FERDINANDO ROMANO-  
RVM, HVNGARLÆ, BOEMIÆ ZC. REGE  
ARCHIDVCE AVSTRLÆ ZC. PRINCIPE  
NOSTRO GLORIOSISSIMO.

M. D. XXXVI.

Anno 1540. Ob metum JOANNIS SIGISMUNDI SZAPOLYÆ, ac Turcarum eidem faventium, VIENNENSES fossæ latius erutæ, propugnacula aliquot, & nonnulla exteriora opera construi cœpere. Unde solo æquari necesse fuit parietinas Hospitalis S. SPIRITUS, ac templi ad S. SEBASTIANUM prope VIENNAM rivum, quæ ex prima oppugnatione superfuere.

Anno 1545. confurgere e fossis cœpere nova propugnacula, nomen suum fere a vicinia, vel Authoribus suis fortita. *Aulicum* nempe, quod hodie Hispanum dicitur. *Leoninum*, quod Regiæ Majestatis propugnaculum vocabatur; dein autem ab instauratore suo Barone LÖWL, hujatis præsidii Governatore, ædibusque ejus æstivis, olim huic propugnaculo insistentibus hoc nomen traxit.

*Mel-*



*Mellicense* a vicina Mellicensium aula dictum.

Propugnaculum ab exilio, seu vicino loco, in *Elend* olim compellato, quem nunc Armamentarium navale occupat.

Propugnaculum *novum*, cui finitima nova porta nomen fecit.

Ex altera aulae parte surrexit propugnaculum a vicina ejus nominis porta, *Carinthiacum* appellatum.

Propugnaculum olim ab Authore suo *Heiners*, hodie a *fonte artificiali* nomen gerens, qui per turrinam in eo sitam impellitur.

Propugnaculum Sanctimonialium ad D. JACOBUM, quod dein, versus dextram magis promotum superius Stubense, dein a structore suo *Braunbastey* vocitatum est.

Propugnaculum Patrum Prædicatorum, sic dictum, quod ei templum horum Patrum incumbat. Infra hoc propugnaculum, cui *Sambuccus* nomen dedit.

Propugnaculum *Fibri*, a vicinis ædibus Dominorum de Pyber, & cognomine porta sic compellatum est.

Pone primum Danubii pontem munimentum constructum est Anno 1662. cui ab Authore suo, HANIBALE GONZAGA Præsidi Gubernatore nomen inditum.

Idem nomen adhæsit propugnaculo majori penes SCHÄNZLTHOR, quod ab eodem GONZAGA muro obductum est, excitatum vero jam erat sub MAXIMILIA-



no II. Imp. Anno 1566. ut testatur DOMINICUS ZENOI in  
sua VIENNÆ delineatione, Venetiis eodem anno edita.

Ad excitanda propugnacula, quæ sub FERDINANDO  
I. structa sunt, sumptus contulere status AUSTRIÆ, Ci-  
vitas VIENNENSIS, FERDINANDUS REX, MAURITIUS  
Saxoniae, & WILHELMUS Bavariae Duces, nec non  
Urbes Imperii Augusta Vindelicorum, Norimberga,  
Argentina, Ulma, Colmaria, Slestadium &c.

Propugnaculum a *Sambucco* dictum solis civium  
VIENNENSIVM impensis stetit, quadratis lapidibus sum-  
ptis ex Parthenone S. NICOLAI in via Regia, cui Tur-  
cæ nuperna urbis oppugnatione ruinam intulerunt. Ita  
FUHRMANNUS in sua Vienna pag. 805.

Huic propugnaculo WOLFFG. LAZIUS sequentia  
verba inscripsit.

D. O. M.

DD. NN. CAROLI ET FERDINANDI

PERENN. AUGUST. SALUBER.

JUSSU HOC PROPUGNACULUM A FUNDAMEN. CON-  
TRA TURCARUM VIM, ORDINANTE VIRO CLARISS.  
LEONARDO VELSIO SACRI REGII PALATII COMITE,  
ET UTRIUSQUE MILITIAE MAGISTRO, INSISTENTE  
ETIAM STEPHANO DENCKIO CONSULE VIGILANTISS.  
S. P. Q. VIENNENSIS CURÆ HORUM COMISS. AD EX-  
TREMAM MANUM PERDUX. ÆRE PUBLICO, ANNO  
CHRISTI MDXLV. V. S. L. L. M.

*Notit. Vindob.*

Ff

Anno



Anno 1547. AUGUSTINUS HIRSGLO, Architectus Militaris, ac Civilis urbis nostræ, ejusdem Ichno-graphiam coloribus expressit in rotunda, ac prægrandi mensæ tabula, quam in Tabulario civico inspexi, propugnaculis tamen nonnullis adjectis, quæ tum solummodo designata erant.

Eandem subinde 1552. in charta sex philyrarum æri incisam vulgavit. Minori forma descriptam exhibet FUHRMANNUS P. II. Viennæ pag. 795.

Hirsgolianæ Mappæ hæc inscripta leguntur: *Hanc Viennæ, quam vides Geometricam faciem, Archimedes Syracusanum, Augustinus Hirsogl a suo depictam radio, imitatus est Anno M. D. XLVII.*

Anno 1551. suprema manus imposita est propugnaculo a fonte artificiali dicto. Docet id inscriptio, quam præfert anterior ejus angulus:

FERDINANDUS ROM. GERM. HUNG. BOE.

ZC. REX. INF. HISP. ARCH. AUST. DUX

BURG. ZC. SACRI ROM. <sup>Imp. Ord.</sup> ET STA-

TUUM SUMPTIB. CONSTR <sup>ui</sup> J<sup>uffit</sup>

<sup>Anno</sup> CHRISTI MDLI.

Anno 1552. Porta nova ad interiorem Cæsaream aulam, ad quam Helveti excubant, constructa est. Fidem facit lapis portæ imminens, in quo legitur:

ANNO

1552

FER-



FERDINANDUS ROM. GERMAN.  
HUNG. BOEM. ZC. REX INFA.  
HISP. ARCHI. AUSTR. DUX BURG-  
UND. ZC. A. MDLII.

Anno eodem collato a Statibus Imperii ære perfe-  
ctum est propugnaculum Carinthiacum. Legitur hoc in  
lapide, qui exteriori ejus angulo inhæret:

FERDINANDUS ROM. GERM. HUNG. BOEM.  
ZC. REX INF. HISP. ARCH. AUSTR. DUX  
BURG. ZC. S - CRI R - - - IMP. ORD.  
ET STATUUM SUMPTIBUS C - NSTR - -  
- USS. ANNO CHRISTI MDLII.

RENOVATUM

ANNO 1641.

Anno 1555. propugnaculum *Braunianum* supre-  
mam manum accepit, testante lapide ipso, in quo hæc  
leguntur:

FERDINANDUS ROM. GERM. HUNG. BOEM.  
ZC. REX INF. HISP. ARCH. AUSTR. DUX  
BURG. ZC. SACRI ROM. IMP. ORD. ET  
STATUUM SUMPTIBUS CONSTRUI JUSS.

ANNO CHRISTI M. DLV.

Anno 1558. inde a fossis civitatis per 50. orgya-  
rum spatium quæcunque ædificia interduntur.



Educta sunt circa idem tempus alia quoque urbis propugnacula, quo tamen anno ignoratur; quia non continuo muro obducta sunt.

Erecta quoque est anno 1558. porta, quam novam vocamus, fossam urbis prospectans; lapis ejus limini incumbens, quem maximum in urbe ajunt, nostra adhuc ætate truncatam hanc epigraphen gerebat, ex una parte.

DISER STAIN WIGT 164. C. 51. p.

EX ALTERA

LVIII

Sed hodie cæmento inducto hæc quoque oblitterata sunt.

Anno 1561. absolutum est propugnaculum ab *Exilio* dictum, ita enim lapis exteriori ejus angulo insertus aureis literis loquitur:

FERDINAND. P. ELECT. ROM. IMP. GERM.

HUNG. BOEM. ZC. REX INF. HISP. ARCH.

AUSTR. DUX BURG. ZC. SACRI ROM. IMP.

ORDI. ET STATUUM SUMPTIB. CONSTRUI

JUSS. ANNO CHRISTI M. D. L. XI.

Anno 1619. 5. Junii MATHIAS Com. A THURN tumultuantium Bohemorum ac sociorum ductor, immisso suburbiis exercitu ex S. MARGARETÆ vico VIENNAM tentat; at GEBHARDO SANTALIERIO Dampierriæ legionis, ex improvise, Deo procul dubio inspirante,



te, cum 500. cataphractis equitibus Cremsio adventante, ac per canalem, ut fertur, in armamentarium navale, dein in aulam feliciter eluctante, repentino eo periculo & urbs & Imperator liberati sunt.

Anno 1620. 5. Augusti ab Imp. FERDINANDO II. ædificia cuncta solo æquari jussa sunt, quæ in pomæriis intra 50. perticarum spatium inde a fossa urbis continentur.

Anno 1646. parmula, seu munimentum illud minus, quod vernacula SCHANZL vocant, perfectum est; testatur hoc epigraphe, quæ in ejus porta legitur:

FERDINANDUS III. ROM. IMP.

ANNO 1646.

Anno 1650. in constructione reliquarum parmularum septingenti operæ quotidie defudarunt.

Anno 1656. absoluta est Scotensis porta, qua primum pontem respicit, id, quod legere est in ejus limine:

M. D. C. (F. III. R. I. A. A.) LVI.

Anno eodem propugnaculo *Leonino* murus inductus, cujus fronti inscriptum:

FERDINANDUS III. ROM. IMP. GERM.

HUNG. BOH. ZC. REX ARCHID. AUSTR.

PROPUGNACULUM HOC MURO OBDUCI

CURAVIT ANNO M. D. C. L. VI.



Anno 1659. propugnaculum aulicum exterius, antea Stadianum compellatum, a LEOPOLDO Imp. muro vestitum inscriptio notat, quæ ita habet:

- - - - - GERM. HUNG.

- - - - - ZC. REX ARCHIDUX - - T.

PROPUGNACULUM HOC MURO OBDUCI

CURAVIT - NNO M. D. C. LIX.

Munimentum istud anno 1627. imperante FERDINANDO II. construi cœptum testatur quidem Author Status Regiminis FERDINANDI II. anno 1637. Viennæ editus, sed in ichnographica urbis nostræ delineatione, a Domino ZENOI Anno 1566. Venetiis in lucem edita, jam observatur.

Anno 1660. porta aulica huic propugnaculo contigua, perfecta est; sic enim ejus inscriptio pontem respiciens loquitur interjectis chronologicis literis:

M. LEOPOLDUS D. ROM - N. IMPERAT.

C. ARCHID. AUSTR. LX.

Anno 1661, iterato Cæsaris edicto domus cunctæ, ac horti solo æquari jussi, qui in pomæriis intra trecentos ab urbe passus consistèrent.

Anno 1662, exterior turris rubræ porta, quæ ad primum Danubii pontem ducit, perfecta est. Inscriptionem sequentem præfert:

M. D. C. (LEOPOLDUS R. I. A. A.) L. X. II.

Anno



Anno 1664. propugnaculum majus, quod ab instauratore suo *Gonzagianum* dictum fuisse supra meminimus, inducō e lateribus muro firmatum est. Fidem præstat lapis, cui inscriptum:

LEOPOLDUS ROM. IMP. GERM. HUNG.  
BOHEM. ZC. REX ARCHIDUX AUSTR.  
PROPUGNACULUM HOC MURO OBDUCI  
CURAVIT. ANNO MDCLXIV.

Anno 1671. Porta Carinthiaca veteri loco restituta est; clausa altera e regione S. CLARÆ, cui tamen, etsi ætate posteriori, apud vulgus antiquæ portæ Carinthiæ nomen mansit. Absoluta est autem hæc porta, qua ad proximum pontem exitus datur, Anno 1671, id, quod testatur epigraphæ, quam gerit ex ea parte:

ANNO (L. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. A. A.) 1671.

Qua autem parte urbem respicit, perfecta est anno sequente, ut rursus in ea legitur:

ANNO (L. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. A. A.) 1672.

Supra portam minorem, quæ peditibus duntaxat transitum præbet, bustum Architecti conspicitur assabre elaboratum.

Supra ostium parmulæ Carinthiæ, in objecta suburbiis facie inscriptum:

ANNO 1673.

L. D. G. R. I. S. A. G. H. B. R. A. A.

Anno



Anno 1682. novo bello a MAHOMETE IV. Turcarum Imperatore impendente, firmior urbis munitio Cæsaris imperio suscipitur, quæ

Anno 1683. a 20. Martii, ter mille fossoribus ac fabris opus facientibus continuata, atque 8. Julii ejusdem anni, a Religiosis, & civibus juncta manu perfecta est.

11. Julii ad demolienda suburbia manus conversæ; sed opere lentius procedente,

12. ignis illis injectus compendio laboris ruinam eorum acceleravit.

14. oppugnandæ urbi initium factum a KARA MUTSAPHA Ottomanicæ Portæ Purpurato: RUDIGERO STARHENBERGIO eam propugnante.

12. Sept. qui erat Dominicus, profligati a foederato Christianorum exercitu Turcæ, relicta urbis oppugnatione diffugere.

Mox reparata munimenta, ac paulo post, 14. nempe Novembris, ædificia cuncta, ac rudera, quæ intra 600. ab urbe passus continebantur, solo æquari jussa.

Anno 1704. ob repetitas ex vicina Hungaria incursiones, suburbiis ipsis, duorum amplius milliarium Germanicorum ambitu, a superiori Danubii latere ad inferius, fossæ ac valla circumducta. Fossæ 12. pedes altæ, totidem latæ.



ANNO 1723. GUIRICUS COM. A DAUN Præsidii militaris in urbe nostra Præfectus, CAROLO VI. Augusto jubente, munimenta Civitatis instauravit, & ornavit. Eodem curante ad æqualem formam exstructæ vigiliarum, & teloniariorum ædiculæ ad urbis portas.

ANNO 1724. parmula Scotensis ad novæ Architectonices militaris normam perfecta est; docet id inscriptio, quam exterior ejus porta præefert:

17 (ANNO DOMINI) 24.

C. VI. D. G. R. I. S. A. GE. HI. HU. BO. REX

A. A. D. B. C. T.

ANNO 1728. Carinthiaca, ac Scotensis portæ, quæ ad firmitatem ac ornatum adhuc desiderabantur, accepere.

ANNO 1741. ingruente a Gallis, & Bavaris metu, LUDOVICO ANDR. COM. KEVENHILLERO supremo Belliduce, ac MAXIMILIANO STARHENBERGIO Urbis Gubernatore curantibus, ædificia omnia diruta sunt, quibus propugnacula ac moenia ad eam diem obsita, atque ad necessariæ defensionis facultatem impedita fuerant.

Ex quo id commodi exstitit, ut propugnatoribus amplius spatium, urbi liberior aer, deambulantibus non inamœna ambulacra aperirentur. Reparata ad hæc munimenta antiqua, ac latius explicata: alternis palorum angulis minoris formæ valla adjecta: propugnaculis ex utroque latere forcipulæ in fossis additæ.

Notit. Vindob.

Gg

Anno



Anno 1746. restauratum propugnaculum PP. Prædicatorum, & alterum, quod aulæ adhæret, vulgo Hispanicum.

Amplificata quoque parmula propugnaculo Fibri prætensa, olim JUDENSCHÄNZL, deducta per illam porta, quæ a M. THERESIA Augusta nomen indepta est, cum hac epigraphe:

MARIA THERESIA ROM. IMP.

H. B. R. A. A. A. 1746.

Propugnaculum Fibri, seu Castoris prolongatum est, & parmula inter hoc, & Sambuci propugnaculum vallo exteriori, seu perspicillo defensa.

Reparata item Stubensis porta, porta Nova exterior, ac porta propugnaculi Hispanici. Refectum munimentum propugnaculo Leonino incumbens, quod usitato vocabulo *Catum* vocant.

Eadem cura adhibita munimento, quod portæ, ac propugnaculo Carinthiaco imminet, & vulgo *Vogelgesang* dicitur, ejusque ala ad ipsos aulæ muros producta est.

Subjungo nomina parmularum, incipiendo a dextris primi ad Danubium pontis. *1ma* Judæorum parmula a vicino Leopoldino suburbio, olim Judæorum Civitate, nunc parmula M. THERESIÆ. *2da* Ravelinum Castoris, *3tia* Parmula Stubensis. *4ta* Ravelinum Melis, seu *in Dachslotch*. *5ta* Parmula Carinthiaca. *6ta* Parmula



mula Augustiniorum. 7<sup>ma</sup> Parmula Leonina. 8<sup>va</sup>  
 Parmula Mellicensis, olim lateritia, a vicina laterum  
 fornace. 9<sup>na</sup> Parmula Scotensis. 10<sup>ma</sup> Parmula ante  
 Novam portam. 11<sup>ma</sup> Parmula aquatica, vulgo *das*  
*Schänzl.*

## C A P U T XXII.

*Tabulæ Genealogicæ, Chronologicæ, ac Necrologicæ  
 Principum AUSTRIÆ ex stirpe Babenbergica cum  
 præcipuis eorum gestis.*

**H**is in tabulis præcipue secutus sum CALLESIUM  
 in Annal. Principum Babenbergicorum, & ECKARTUM  
 de Origin. Famil. Saxon. Super. in Præfatione, a §. 13.  
 ad 35. neque tamen semper; ut ex citatis authoribus  
 (ubi opus fuerit) patebit.

In eo maxime elaborandum, ut suæ primis AUSTRIÆ  
 Marchionibus Conjuges, eæque veræ assignentur.  
 Quam ego litem ita componere studui, ut & suam  
 cuilibet tribuerem, quin tamen ad binomiam confu-  
 gere necesse sit; & sepulchrali lapidi Mellicensi, quate-  
 nus de personis agitur, fidem suam intactam relinquerem.

Ordinem, quo hoc in lapide nominantur, non se-  
 quor; neque enim notatur in eo, cujus nominatim uxor



quævis fuerit; ac insuper serius, nempe omnibus jam sepultis positus est, quo quidem tempore de earum sepultura constabat, non perinde tamen ob temporum vicissitudinem de singularum connubio.

Neque obsunt Chronicon & Necrologium Mellicense, ac Historia Foundationis ejusdem Monasterii, quæ ADALBERTO ADELHEYDEM tribuunt. Nam Chronico recentiori manu adjecta sunt ea verba: *Vidua Adalberti Marchionis*. Ex Chronico hoc in Historiam & Necrologium error fluxit. Certe Religiosi S. BENEDICTI, omnibus præter LEOLFOLDUM III. jam defunctis & sepultis Mellicium primo tenuere. HASELBACHIUS autem, AREMPEKIUS, Author Tabularum Claustro-Neoburgensium, ex Mellicensibus procul dubio hausere. Tabulæ Claustro-Neoburgenses FROWIZAM uxorem nominant LEOPOLDI, dicti *Fortis Miles*: sed ex lapide Mellicensi non aliam FROWIZAM, præter eam, quæ certo ADALBERTI Conjux fuit; uti nec binas SWANHILDES novimus. CALLESII Annales cum aliis authenticis, ac coævis documentis nos per certiora, ac planiora ducent.





T A B U L A I

POPPO

COMES.

*Henricus* Marchio, & Dux Franciæ Orientalis.  
Obiit Anno 886. V. Cal. Septembr. In expeditione adversus Normannos Parisios obidentes occisus.

*Poppo* Dux Thuringorum.  
Depositus Anno 892. Ex hoc veteres Comites Wimarienses.

*Adalbertus* Comes Babenbergensis, & Terrassensis.  
Ob fratrum necem in Wetteraviensibus Comites sæviens Imp. *Ludovici* jussu confiscatis bonis decollatur Anno 908. V. Idus Sept.

*Adelardus* Comes.  
In prælio cum Wetteraviensibus ex honoris contentione suscepto captus, Gebhardi Wetteraviensis jussu decollatur Anno 902.

*Henricus* Comes.  
In eodem prælio occiditur Anno 902.  
Uxor *Babba*, Ottonis Saxonum Ducis filia.

*Bertholdus* Comes de Mertala, vel Amardela.

*Otto* Comes Hennebergicus. Mortuus Anno 933.

*Adalbertus* Comes de Mertala, vel Amardela.  
Spectatæ virtutis, & bello, quod *Otto* M. in *Liudolphum* filium, & peruelles ei adhærentes gessit, fide, manuque inclytus.  
Dum *S. Udalricum* Maichingæ obsessum liberat, victoriæ immortalis est Anno 954. a *S. Udalrico* Augustæ Vindel. sepultus.

**LEOPOLDUS** *Illustris*, I. Austriæ Marchio ex stirpe Babenbergica, prius Sundergovienfis, & Tonahgovienfis Comes, ut docent diplomata Ottonis III. Anno 979. & 982. data.

In Austriam venit sub finem anni 883. vel sequentis initium.

Anno 984. Ungaros Mellicio usque ad montem Cetium ejicit.

Anno 985. fundat Canonicos seculares in castro Mellicensi.

Anno 991. Cæsaris permissu Marchiæ regimen filio cedit, teste *P. Pusch Chron. S. Styriæ P. I. p. 200.*

Anno 994. VI. Idus Julii obit ex vulnere Würzeburgi biduo abhinc accepto. Sepultus ibidem. Post annum 1015. Mellicium translatus.

Uxor **RICHEZA**, seu **RICHARDA**, nata patre Francorum Duce, forsan Conrado Ottonis M. per Luitgardam filiam Genero.

Mortua

Sepulta Mellicii.

*Bertholdus* II. Marchio Franconiæ adversus Bohemos.

Fundat cum Uxore Ecclesiam Schweinfurtensem.

Obiit Anno 980.

Uxor, *Anita* Ditmari Merseburgensis, ipso teste: unde soror Syfridi Comitis Waldbeccensis, seu Rivi sylvatici. *V. Leibnizium in scriptor. rerum Brunswic.* Atque adeo

*Eila* Lotharii Comitis Waldbeccensis filia, quæ mortua Anno 1015. XV. Cal. Sept. *Eckhartus Hist. Geneal. Princ. Saxonie in Præfat. p. 23.*

*Henricus* Marchio Schwinfurtenfis, & Comes Mertalenfis,

Rebellis Henrico II. Imp. Anno 1002; anno 1004. eidem se submittit; sed in Wittgenstein, seu Gibichenstein custodiæ mancipatur; inde tamen 1005. liber dimittitur.

Mortuus Anno 1017. XIV. Cal. Oct. Sepultus Schweinfordiæ in septentrionali parte Monasterii extra Ecclesiam, juxta januam, ut ipse petiit.

A Ditmaro, Orientalium Decus Francorum compellatus: ab aliis Rebellis; unde hoc nomen in patrelem ejus, Henricum Austriæ Marchionem, perperam translatus.

Uxor, *Gerberga*, forsan soror Boleslai Ducis Poloniæ.

*Otto* Marchio Schwinfurtenfis.

Anno 1048. post Ottonem quemdam Dux Alemanniæ, seu Sueviæ constituitur ab Henrico III. Imp. Ita *Hermannus Contractus ad hunc annum.*

Anno 1058. IV. Cal. Oct. moritur, Schwinfordiæ sepultus.

Uxor 1. *Mathildis*, filia Boleslai Ducis Poloniæ, quam duxit Bambergæ Anno 1035.

Eandem, verosimiliter ob sanguinis conjunctionem, forsan neptem matris suæ, cogente synodo Triburiensi dimittit.

Uxor 2. *Irmengardis*, filia Maginfredi Segusiensis Marchionis: hæc postmodum nupsit Ecberto I. Marchioni Misniæ.

*Otto* plures filias, filium reliquit nullum.

*Hæc ex Eckharto supra citato.*

HENRICUS. ERNESTUS. POPPO. CHRISTIANA. ADALBERTUS.

De his vide Tabulam II.





T A B U L A II.

LEOPOLDUS ILLUSTRIS, PRIMUS AUSTRIÆ MARCHIO.

UXOR RICHEZA, SEU RICHARDA.

MARCHIO II.

HENRICUS I. dictus *fortis armatus*, Anno 1014. honorifice Mellicium ad sepulturam deportari jubet S. Colomanum, Stokeraviæ populari judicio suspensum Anno 1012. XVI. Cal. August.

Videtur sæpius habitasse Ducumburgi, ad ejus enim preces, & intercessionem Henrici II. Imp. Benno Pataviensis Antistes ibidem Ecclesiam constituit, circa Annum 1018. *Hundius in Metrop. Salisb. T. I. p. 202.*

Mortuus repente Anno 1018 IX. Cal. Julii. *Necrolog. Mellic. & Claustro-Neob.* Sepultus Mellicii.

Uxor MATHILDIS seu MECHTILDIS, ut videre est in *Chronica Australi apud Struvium ad annum 983.*

Sepulta Mellicii.

Non SUANHILDIS; unius enim tantum meminit lapis sepulchralis Mellicii, & hæc certo erat Conjux Ernesti Strenui; ut videbimus.

Decessere sine liberis, ut testatur vetus MS. Bibl. Cæsareæ apud Marcum Hanfzium T. I. *Germ. Sacræ p. 252.*

ERNESTUS I.

Anno 1002. cum Henrico Schwinfurteni, patruelo, Cæsari rebellis, captus 1003.

Sueviæ tamen Dux constituitur ab eodem Henrico II. Imp. Anno 1012.

Anno 1015. pridie Cal. Junii, in venatione ab Adalberone Comite fortuito fauciatus, moritur publice confessus.

Sepultus, ut ipse petiit, Wyrceburgi, penes patrem

Uxor GISELA, filia Hermani I. Alemanniæ Ducis, Uxor Hermani II. Alemanniæ Ducis, 1012. defuncti

Vidua nupsit Conrado Salico II. Cæsari.

Mortua 1043. *Hübner in tab. Geneal.*

Sepulta Spiræ apud secundum Maritum.

*Ex primo Marito.*

I.

ERNESTUS II.

Rebellis Conrado II, Cæsari vitrico suo, Ducatus honore privatur Anno 1028.

Iterum rebellis Anno 1030. pugnans in silva Nigra, vita privatur XVI. Cal. Sept.

Sepultus Constantiæ in æde B. V.

2.

HERMANNUS III.

Post fratrem Dux Alemanniæ, Strenuus & optimæ indolis.

In Italia peste exstinctus est, cum magno Imperii damno, V. Cal. August. Anno 1038.

Sepultus in Suevia *Sunthemius in tabulis Claustro-Neoburg.*

*Ex secundo Marito.*

HENRICUS, postea Imperator, hoc nomine III. & a crinibus Niger appellatus.

POPPO.

Bambergensis Ecclesiæ Canonicus, dein Præpositus.

Anno 1017. inauguratur Archi-Episcopus Trevirensis præsentem Henrico sancto Imperatore, Fautore suo.

Proficiscitur in terram sanctam Anno 1026.

Revertitur Anno 1028.

Moritur Treviris Anno 1047. XVI. Cal. Julii, ut habent *Gest. Trevir. c. 56.*

Sepultus ibidem in porta Civitatis, quæ Nigra appellabatur, ubi S. Symeonem terræ mandaverat.

Anno 1417. Ejus corpus integrum repertum.

Referunt Bollandistæ T. III. Junii in prolegomenis ad diem 16. Junii, Sancti titulum a quibusdam Popponi tributum.

CHRISTIANA.

Intra arctæ custodiæ solitudinem sanctiorem vitam Treviris professæ.

Mortua ibidem Anno 1047. III. Nonas Novemb.

ADALBERTUS.

Vide

Tabulam III.





T A B U L A III.

ADALBERTUS I. Austriae Marchio III. dictus *Victoriosus*, prius Marchio Donagoviensis.

Succedit fratri Anno 1018.

Comite bellorum Leopoldo filio, Hungaros sub Ovone Rege trans Leutham repellit, capto Heimburgo 1042.

Anno 1044. cum Henrico Rege, data caelitus Victoria, Ovonem iterum fugat, & Affinem suum Petrum folio restituit.

Ab Henrico III. Caesare Marchionatum Austriae ad haeredes transferendi jus accipit.

Anno 1056. moritur VII. Cal. Junii, & Mellicii sepelitur.

Uxor ejus, non erat *Adelheydis*, nec prima, nec secunda; non prima, quia *Adelheydis* mortua Anno 1070. vel 1071. non secunda, quia *Frowiza* Viduae Diplomata mentionem faciunt.

Uxor ergo ejus, & unica fuit FROWIZA, soror Petri R. Hung. filia Ottonis Guilielmi, postea Comitis Burgundi, & Sarolæ, quæ fuit filia Geysæ I. & soror S. Stephani Ungariæ Regis. Constat hoc ex donatione Henrici III. Caesaris facta Adalberto, uxoriq; suæ *Frowizæ* Anno 1048, quam videt Diplomate Henrici III. apud Godefr. Abb. Gottwic. T. I. l. 2. pag. 263. Et ex donatione Henrici IV. Caesaris facta Adalberti Marchionis Viduae, *Frowizæ*, Anno 1058. ut habetur in repertorio Tabularii aulici Vienn. apud Excell. C. J. W. a Wurmbrand consilii aulico-Imperialis Præsidentem. Unde etiam ante annum 1058. mortua non est.

Dies mortis assignatur XIII. Cal. Martii a Necrologio Mellicensi & Claustro-Neoburgensi.

Sepulta Mellicii.

LEOPOLDUS II. dictus *Fortis Miles*, Natus 1021.

Ab Henrico III. Imp. Anno 1043. successor hæreditarius patris renuntiatus.

Obiit Anno 1043. 9. Decembris, Ingelhemii, ubi Henricus III. Caesar nuptias celebravit.

Sepultus Treviris a Popone Patruo, Archi-Episcopo.

Uxor, non *Frowiza*, quo nomine unam tantum lapis sepulchralis memorat Mellicensis; ergo:

ADELHEYDIS uxor, quæ in lapide signata, nullum alias locum reperit: & congruit tempus mortis, quod illi a morte Mariti assignatur, Annus nempe 1071. ut vult *Chronica Australis*, & *Necrologium Mellicense*: dies vero VII. Cal. Februarii, ut refert *Necrol. Claustro-Neoburg.*

Sepulta Mellicii. Vide *Calles. P. I. Annal. Babenb. pag. 331. n. c. in fine.*

ERNESTUS III. Austriae Marchio IV. cognomento *Strenuus*.

Natus Anno 1027.

Nepotem sibi jam natum vidit Leopoldum sanctum, dein Austriae Marchionem.

Ministerialium Austriae prima sub hoc Marchione mentio.

In prælio ad Unstrutt fauciatur VI. Idus Junii, die altera ex vulnere obit.

Sepelitur Mellicii.

Uxor ejus, non *Mechtildis*; sub hoc nomine enim unica in lapide sepulchrali Mellicii reperitur:

SUANHILDIS ergo uxor, & hoc nomine ab ipso Ernesto Marchione compellatur, in Diplomate Mellicensibus dato, apud *Philbertum Hueber in Austria ex Archivo Mellicensi illustrata L. I. pag. 1.*

SUANHILDIS, filia erat Dedonis ex Lusatia.

Mortua

Sepulta Mellicii.

Sub hoc Ernesto inter Ministeriales & testes reperitur Celeberimus Azzo cum duobus filiis, in Diplomate Mellicensibus dato, dictus de Gobatsburg; ex quo Chunringii, & Liechtensteinii descendisse feruntur.



ERNEST'S JOURNAL

<p>1880</p>	<p>Jan 1</p>	<p>Left New York for Philadelphia</p>	<p>Arrived Philadelphia 10 AM</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 2</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 3</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 4</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 5</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 6</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 7</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 8</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>
<p>1880</p>	<p>Jan 9</p>	<p>Visited the University of Pennsylvania</p>	<p>Spent the day in the city</p>

T A B U L A IV.

ERNESTUS STRENUUS AUSTRIÆ MARCHIO IV.

UXOR SWANHILDIS.

LEOPOLDUS III. cognomine *Pulcher*, V. Austriæ Marchio.

Filius Ernesti unicus; ut colligitur ex Diplomate Patribus Mellicensibus dato, *apud Philibert. Hueberum*

*L. I. pag. 1.* succedit patri Anno 1075.

Dictus Defensor Ecclesiæ. *Richardus Claustro-Neoburg.*

Etiā Machlandiam superioris Austriæ partem sub se habuit.

Ob discessum a partibus Henrici IV. Imp., Pontificis adversarii, immisiss Bohemis, & Moravia regnam cladem suorum, & Nobilium patitur ad Mauerperg, nunc Malperg, Austriæ oppidum, Anno 1085. IV. Idus Maji.

Canonicis Secularibus Religiosos S. Benedicti substituit Mellicii 21. Martii Anno 1089.

Moritur Anno 1096. IV. Idus Octobr. *Necrol. Claust. & Mellic.* Sepultus Mellicii.

Principis titulo ornatus a Paschali II.

Dictus Fidelissimus in causa S. Petri, & ditissimus Marchio a Bertholdo Constantiensi. Piissimus Marchio a B. Altmanno.

Uxor ITHA. Cujus filia fuerit, ignoratur: similiter quando nupta fuerit.

Vidua Anno 1096.

Profecta in terram sanctam cum Guelfone Bavariæ Duce, & Thiemone Salisburg. Archi-Episcopo Anno 1100.

Anno 1101. post cladem Christianorum a Saracenis ad Reclajum capta, & in Corrozanam regionem deportata, obiit. De anno non constat. *Callejus.*

JUDITHA.

Virgo decessit.

Sepulta Mellicii.

LEOPOLDUS IV.

Cognomento *Pius*, Marchio VI. Natus Mellicii in festo S. Michaelis. Anno 1073, vivente adhuc Avo.

Reliqua Vide. Tabula sequenti.

ELISABETHA.

Nupta OTTOKARO IV. Styrensi Marchioni.

Mortua VI. Idus Octobris ante Annum 1111, quo Maritus Monachos pro clericis induxit Garstenam: ibidem in Choro sepulta.

OTTOKARUS ipse mortuus 28. Novembr. Anno 1122. Itidem in Garsten terræ mandatus est.

LEOPOLDUS *fortis*, qui primus Styriam a Carinthia separatam Marchio gubernavit.

ITHA, aliis LUCIA

Nupta LEUTHOLDO Marchioni Znoymensi. Mortua XVIII. Cal. Maji.

CONRADUS. Dein Marchio Moraviæ.

HERBIRGIS.

Nupta Znoymæ XV. Cal. Novembris Anno 1100. BORIVOJO Bohemiæ Duci, filio Wratislai Regis.

Vidua Anno 1124. IV. Nonas Mensis Platonis Anno sequenti Gottwici sub arca solitudine sanctiorem vitam professæ.

Mortua ibidem VI. Idus Junii Anno 1142. & Sepulta.

JAROMIRUS.

EUPHEMIA.

Nupta CONRADO Hirsuto ex Bavaria cum dote Comitatus Peilensstein, a quo dicta est. Mortua XVI. Cal. Julii.

Sine liberis decessisse dicitur, Callejo contrarium opinante *P. I. Ann. Bab. pag. 427. nota A.*

SOPHIA.

Nupta primum HENRICO II. de Eppenstein, Duci Carinthiæ. Vidua 1127.

Nubit iterum SIGHARDO Comiti Burghufino de Scharfack, de Scala etiam, ex dotis nomine compellato.

Vidua iterum XII. Cal. Maji Anno 1142.

Mortua VI. Non. Maji 1154.

Ex secundo Marito. HENRICUS.

RICHARDA.

Nupta HENRICO Ratisbonensi, Comiti de Stephaningen cum dote Ibsii, & Besenbeugi. Calles. P. I. An. Bab. p. 428. nota B.

Maritus Jerosolymis mortuus Anno 1101. *Annal. Saxo ad hunc annum.*

UNION OF THE STATES

<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>	<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>	<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>	<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>
<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>	<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>	<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>	<p>1864</p> <p>1865</p> <p>1866</p> <p>1867</p> <p>1868</p> <p>1869</p> <p>1870</p> <p>1871</p> <p>1872</p> <p>1873</p> <p>1874</p> <p>1875</p> <p>1876</p> <p>1877</p> <p>1878</p> <p>1879</p> <p>1880</p> <p>1881</p> <p>1882</p> <p>1883</p> <p>1884</p> <p>1885</p> <p>1886</p> <p>1887</p> <p>1888</p> <p>1889</p> <p>1890</p> <p>1891</p> <p>1892</p> <p>1893</p> <p>1894</p> <p>1895</p> <p>1896</p> <p>1897</p> <p>1898</p> <p>1899</p> <p>1900</p>

No.	Name	Age	Sex
1	John Smith	25	M
2	Mary Jones	22	F
3	James Brown	30	M
4	Sarah White	18	F
5	Robert Black	35	M
6	Elizabeth Green	28	F
7	William Grey	40	M
8	Jane Hill	20	F
9	Thomas Lee	32	M
10	Ann King	15	F
11	George King	45	M
12	Patricia King	12	F
13	Richard King	10	M
14	Elizabeth King	8	F
15	John King	6	M
16	Mary King	4	F
17	James King	2	M
18	Sarah King	1	F
19	Robert King	0	M
20	Elizabeth King	0	F

T A B U L A V.

Ex Richardo Claustro-Neob. Canonico, seu Leopoldo Cister. in Lilienfeld, ejus Excerptore, Callesio, & aliis.

LEOPOLDUS IV. cognomento *Pius*, Austriae Marchio VI. Natus 1073. III. Cal. Octobr. in Melik, succedit Patri 1096.  
 Circa Annum 1101. castrum in monte Cetio construit; quo tempore Vienna augeri coepta.  
 Anno 1104. III. Id. Nov. Mellicii gladio accinctus est per Udalricum Episcopum Pataviensem.  
 Anno 1106. Mellicii Cal. Maji nuptias celebrat cum AGNETE, benedicente Udalrico Patav. Episcopo, praesente Ottocaro Styriae Marchione & aliis.  
 Anno 1114. IV. Id. Julii per Ottonem Praepositum primum lapidem ponit pro Basilica Claustro-Neob., ejus primum Praepositum nominat praedictum Ottonem.  
 OTTONE Anno 1122. defuncto, Praepositum dicit Ottonem filium suum ab Opoldo Vicario supplendum.  
 Anno 1125. deprecatur oblatam sibi Imperii Coronam.  
 Anno 1133. Claustro-Neoburgi Clericis substituit Canonicos Regulares sub primo Praeposito B. Hartmano, filius enim OTTO jam Cisterciensis Monachus factus.  
 OTTONE filio deprecante Anno 1134. fundat Monasterium Cisterciens. S. Crucis ad rivum Sattelbach, primo Abbate Gottschalcho.  
 Item Anno 1136. construit Ecclesiam in Cellis Marianis Austriae; Monasterium Tundarunt, quod a S. Pancratio & Rapoto a Schwarzenberg urbe, quae olim Nezta dicebatur, vocati; nunc locus ille a S. Pancratio nomen habet, vicinus autem pagus Nöstra.  
 Moritur in Calenberg 1136. XVII. Cal. Decembris, sepultus Claustro-Neoburgi in Capitulo Reginmaro Patavienfi Episcopo.  
 Sanctis adscriptus ab Innocentio VIII. Anno 1484. 6. Januarii.  
 Uxor AGNES, Henrici IV. Imp. filia, Henrici V. soror, Conradi III. Mater, Friderici I. Avia, Henrici VI. & Philippi Germaniae Regis Proavia, Friderici II. Atavia.  
 Nata 1076. Nupta FRIDERICO de Hohenstauffe Sueviae Duci, ex quo Mater Friderici, & Conradi Sueviae Ducum, quorum hic Imperator, ille pater Friderici Barborossae Imperatoris.  
 Primum Vidua Anno 1105. Nupta LEOPOLDO Anno 1106. Cal. Maji in Melik. Vidua iterum 1136. Mortua Anno 1157. Annorum 81. VIII. Cal. Oct. *Necrol. Claustro-Neob.* Sepulta Claustro-Neoburgi in Capitulo.

<p>ADALBERTUS II. Natus 1107. Id. Feb. Gladio accinctus a patre in Melik A. 1125. cum 120. aliis Austriae Nobilibus. A. 1132. ducit uxorem. Non succedit Patri ob infirmam valetudinem. Moritur A. 1137. V. Idus Novembris. <i>Necrolog. Claustro-Neob. &amp; lapis ad S. Crucem in Sattelbach.</i> Ubi sepultus. Uxor HATHWIGIS Almi Ungarorum Ducis filia, soror Belae Coeci Regis. Nupta A. 1132. Mortua improlis. Sepulta. Chron. Austr. sepultum scribit <i>Adalbertum</i> in Capitulo Claustro-Neob. cum patre &amp; matre.</p>	<p>LEOPOLDUS V. <i>Largus</i>. VII. Austriae Marchio. Dux Bavariae I. Natus Cal. Januarii A. 1108. Gladio accinctus Claustro-Neoburgi 1131. Succedit Patri Anno 1136. Uxorem ducit A. 1138, quo anno aedificat Sacellum S. Jacobi in loco Hülsen dicto. A Conrado Rege, fratre suo uterino creatur Dux Bavariae Anno 1139. Moritur in Nider- Altahe XV. Cal. Nov. Anno 1141. Sepultus ad S. Crucem in Sattelbach, Uxor MARIA Sobieslai Bohemiae Ducis filia. Nupta 1138. Olomucii in Octobri. Sine prole Vidua anno 1141. Nubit dein HERMANNO Duci Carinthiae.</p>	<p>OTTO Frisingensis. Natus 1109. Nonis Decemb. Ann. 1122. Nominatur Praepositus Claustro-Neoburg. Ann. 1126. fit Monachus Cisterciensis Morimundi. Abbas ibidem Anno 1141. Altera die Episcopus Frisingensis. <i>Ita Albericus Cisterciensis 3. fontium in Chron. ad hunc annum: Et certe si anno 1134. Abbas jam fuisset, eum Patrem talem compellasset in literis foundationis Monasterii S. Crucis.</i> Anno 1147. cum Conrado Imperatore &amp; Henrico fratre Hierosolymam proficiscitur. Moritur Morimundi anno 1158. X. Cal. Octobr. <i>Necrol. Claustro-Neoburg.</i> Sepultus Morimundi.</p>	<p>BERTHA. Nata anno 1110. Nupit Henrico II. Comiti de Stephaning, &amp; Rittenburg, &amp; Burgravio Ratisbon. A. 1133. Mortua Ratisbon. anno 1141. V. Idus Apr. <i>Necr. Claustro-Neoburg.</i> Ratisb. Sepulta apud Scotos Benedictinos.</p>	<p>HENRICUS <i>ja-somirgott</i> Natus 1114. Reliqua Vid. in Tabula sequent.</p>	<p>AGNES. Nata 1115. Nupta WLADISLAO Polono Duci Zlesorum Anno 1134. Mortua An. 1139. VIII. Cal. Febr. Ita <i>Necrol. Claustro-Neob.</i> Maritus mortuus 1159. Olomburgi.</p>	<p>CHUNRADUS. Natus Nonis Junii 1118. fit Monachus Cisterciensis ad S. Crucem in Sattelbach 1137. Abbas ibidem A. 1141. Episcopus Patavienf. 1148. Archi-Episcopus Salisburg. Anno 1164. III. Cal. Julii. Mortuus in Atmunt 1168. IV. Cal. Octobr. Ibidem Sepultus.</p>	<p>GERTRUDIS. Nata VII. Cal. Martii 1119. Nupta WLA-DISLAO Bohemiae Duci, postea Regi. Mortua 1151. Nonis Augusti. <i>Necrolog. Claustro-Neob.</i> Sepulta Doxanae Maritus mortuus 1174. FRIDERICUS. Boh. Dux, &amp; ALBERTUS Salisb. Archi-Episcopus.</p>	<p>ELIZABET. Nata A. 1123. Cal. Sept. Nupta HERMANNO <i>Juniori</i> de Winzeburg Landgrav. Thuringiae A. 1142. Mortua in partu cum prima prole A. 1143. XIII. Cal. Junii. Ita <i>Necrolog. Claustro-Neob.</i></p>	<p>ERNESTUS IV. Natus 1124. XVIII. Cal. Sept. Mortuus 1142. X. Cal. Februarii. Sepultus ad S. Crucem in Valle nemo-rosa. Bonifacius Marchio. Reinerius in Thessalia Rex.</p>	<p>JUTHA. Nata pridie Idus Julii Anno 1126. Nupta WILHELMO Marchioni de Monferrat A. 1146. Vixit adhuc 1156.</p>
---	--	--	---	---	---	---	--	---	--	--

Proles in infantia mortuae, & Claustro-Neob. sepultae.  
 N. circa A. 1112. M. - | N. circa A. 1112. M. - | N. A. 1116. M. - | N. A. 1117. M. -  
 N. A. 1120. M. eodem | N. A. 1121. M. eodem | N. A. 1128. M. eodem | N. A. 1129. M. eodem

The first part of the paper is devoted to a general  
 introduction of the subject, and to a statement of the  
 objects of the present inquiry. It is then divided into  
 three parts, the first of which is devoted to a  
 description of the various species of the genus  
 and to a statement of their geographical distribution.  
 The second part is devoted to a description of the  
 habits and life history of the various species, and  
 to a statement of their economic importance. The  
 third part is devoted to a description of the  
 various diseases to which the genus is subject, and  
 to a statement of the means of their prevention and  
 cure.

No.	Name	Locality	Date	Collector	Remarks
1	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
2	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
3	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
4	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
5	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
6	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
7	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
8	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
9	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>
10	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>	<i>...</i>

Printed and Published by the Government of India,  
 at the Government Press, Calcutta.

The first of these is the fact that the  
 population of the country has increased  
 rapidly since the year 1800. This  
 increase has been the result of  
 various causes, the most important  
 of which are the discovery of  
 gold in California and the  
 opening of the great western  
 trade routes.

Year	Population	Area (sq. miles)
1800	3,929,214	3,536,871
1810	5,308,483	3,536,871
1820	9,637,986	3,536,871
1830	12,866,019	3,536,871
1840	17,069,453	3,536,871
1850	23,191,876	3,536,871
1860	31,349,337	3,536,871
1870	38,558,371	3,536,871
1880	50,189,326	3,536,871
1890	62,948,771	3,536,871
1900	76,212,367	3,536,871

T A B U L A VI

HENRICUS II. *Jasomirgott*, Natus 1114. IV. Nonas Aprilis. Marchio Austriae VIII, & ultimus. Bavariae II, Austriae Dux I. Gladio accinctus in Neuenburg Anno 1131. Vivente adhuc patre Medlingensis Marchio. Leopoldo fratri succedit Anno 1141. Primam Uxorem ducit Anno 1142. Francofurti. Anno 1147. proficiscitur in terram sanctam cum Conrado Rege, & Ottone fratre. Inde redit Anno 1149. cum secunda Coniuge. Aedificat templum S. Stephani, & aulam Viennae 1143. Resignata Bavaria, a Friderico I. Imperat. recipit antiquam Bojariae Marchiam, seu partem Bavariae supra Anasum, dignitatem Ducis Austriae, & alia amplissima Privilegia, cum jure successione ad feminas, Ratisbonae IV. Id. Sept. 1156. Fundat Benedictinos Scotos Viennae Anno 1158, Sanctino primo Abbate. Mortuus Viennae, equo lapsus Anno 1177. Idibus Januarii. *Necrolog. Claustro-Neoburg.* Apud Scotos sepultus XVIII. Cal. Februarii. Uxor I. GERTRUDIS, Lotharii II. Imp. filia, Nata Nupta HENRICO S. Bavariae & Saxoniae Duci, ex quo mater Henrici Leonis. Vidua 1139. Nupta HENRICO *Jasomirgott* 1142. Francofurti. Anno 1143. mortua ex partu cum prole in itinere ad Bavariam XIV. Cal. Maji. *Necrolog. Claustro-Neoburg.* Sepulta Lutherae Regiae apud Patrem & Maritum priorem. Uxor II. THEODORA ex Comnenorum familia, a Manuele Imp. HENRICO in manus tradita in Thessalia Anno 1149. Mortua Anno 1184. IV. Nonas Januarii. *Necrolog. Claustro-Neoburg.* Sepulta ad Scotos Viennae.

LEOPOLDUS VI. *Virtuosus*. II. Austriae Dux, Natus 1157. Gladio accinctus anno 1174., eodem die, quo uxorem duxit. Profectus in Palaestinam initio Anni 1182. sub cujus finem circa Natalitia Christi redux attulit particulam S. Crucis, quam donavit Claustro S. Crucis ad Sattelbach in Valle Nemorosa. Redit in Palaestinam Anno 1190. Claret in oppugnatione Ptolæmaidis 1191. ea capta offensus a Richardo Angliae Rege, eodem anno revertitur. Mortuo anno 1192. Ottocaro VI. Styriae Duce VIII. Idus Maji, LEOPOLDUS Styriae Ducatu inauguratur Wormaliae ab Henrico VI. Caesare IX. Cal. Junii. Eodem anno 1192. 20. Decembr. Richardum Angliae Regem in Erdberg capit. Ex equo lapsus, pedem frangit Graecii 1194. 26. Decembris. Moritur II. Cal. Januarii paulo ante mediam noctem, ut habet lapis sepulchralis. Sepelitur ad S. Crucem Anno 1195, Idibus Januarii. Uxor HELENA Geisae II. Ung. Regis filia, Belae III. Regis soror. Nupta Anno 1174. Ita *Chron. Austr. & Mellic.* Mortua 1199. *Chron. Austr. & Claustro-Neob.* VIII. Cal. Januarii. *Necrologium Claustro-Neoburg.*

HENRICUS III. dictus Medlingensis Senior. Natus 1158. Gladio cum fratre accinctus Anno 1174. Sedit in Medelich, ubi regere incipit Anno 1177. Uxorem ducit Anno 1177. Pergit in terram Sanctam Anno 1191. & 1197. Mortuus 1223. XIII. Cal. Oct. *Necrol. Claustro-Neoburg.* Alii scribunt pridie Cal. Septembr. Diem XIV. Cal. Febr. notat lapis sepulchralis ad S. Crucem. Sepultus ad S. Crucem. Uxor RAIZA, Wladislai Bohemiae Regis filia ex Juditha secunda uxore. Nupta 1177. Mortua 1182. XIII. Cal. Maji. *Necrol. Claustro-Neoburg.* Sepulta ad S. Crucem, sub uno cum Marito lapide.

HENRICUS Junior de Medelich hujus nominis IV. Mortuus post patrem; neque tamen ante Annum 1232. Extant enim geminae ejus literae, una data Anno 1232, XIII. Cal. Sept. ad S. Crucem, altera data in Nivemburg, cum consensu Friderici D. Austr. & Styriae, qui Anno 1230. gubernare cepit. Item literae Gregorii IX. datae Anno 1231, in causa Parochi Medlingensis. V. Calles. Mortuus XI. Cal. Junii, ut constat ex *Necr. Claustro-Neob.*, quod meminit HENRICI Medlingensis, qui tradidit iisdem Koglbun, literis nempe supra citatis, Claustro-Neoburg. Natis. Sepultus Claustro-Neoburgi. *Hergott sepultum scribit ad S. Crucem in v. lle nemorosa ex imagine in Capitulo affixa, & documento aliquo non sat antiquo.* Sine liberis, & forsitan sine uxore decessit.

AGNES. Nata ann. 1151. Nupta Stephano III. Ung. Regi, Geysae II. filio, Anno 1166. *Chron. Austr.* Mortuo ex veneno Marito, Vidua & gravida relicta anno 1171, Mortua Viennae. Apud Scotos pone Patrem & Matrem sepulta.





T A B U L A VII.

LEOPOLDUS VI. *VIRTUOSUS*, DUX AUSTRIÆ II.

UXOR HELENA.

FRIDERICUS I. *Catholicus*.  
Dux Austriæ III. Styriæ II.  
Natus VII. Cal. Januarii anno  
1174.

Succedit Patri Anno 1194.  
in Austria; Styria, cujus titulo  
aliquando utebatur, Leopoldo  
fratri permiffa.

Proficiscitur in terram San-  
ctam cum Patruo Henrico Med-  
lingensi Anno 1197.

Ibidem moritur Anno 1198.  
XVI. Cal. Maji, ut habet Epi-  
taphium ad S. Crucem, ubi sepul-  
tus V. Idus Octobr.

Cælebs obiit; quanquam soror  
Arthurii Britanniae Ducis, Gode-  
fridi Pulchri filia, sponsa eidem  
a Leopoldo patre destinata esset.

LEOPOLDUS VII. *Gloriosus*, Dux Austriæ IV. Styriæ III.

Natus Idibus Octobris Anno 1176.

Styriæ præfuit ab Anno 1195.

Post mortem fratris, simul Austriæ Anno 1198.

Anno 1200. Viennæ Militari baltheo accingitur, a Wolfgere Patav. Episcop. in die Pentecostes.

Circa eundem annum Neostadium condit, Viennam amplificat, stabilis Equites Teutonicos Viennæ.

Anno 1203. ducit THEODORAM COMNENAM.

Anno 1206. 8. Sept. fundat Cistercienses in Lillienfeld, Okero primo Abbate, cum Monachis ex S. Cruce adductis.

Anno 1208. cum pluribus terræ suæ Nobilibus Cruce instructur Claustro-Neoburgi. *Chron. Austr.*

Anno 1212. movet contra Albingenses.

Anno 1213. contra Saracenos in Hispaniam.

Anno 1217. cum Andrea Rege Hungariæ per Dalmatiam in Palæstinam abit. Sedecim diebus mare trajicit.

Anno 1218. Turrim, Nili Claustum, ad Damiatam expugnat.

Anno 1219. ex Ægypto revertitur.

Anno 1220. Seccoviensem Episcopatum, ab Eberhardo Salisburg. Archi-Episcopo interea constitutum, probat.

Anno 1224. fundat Viennæ Patres minores Conventuales.

Anno 1226. fundat Viennæ Patres Prædicatores.

Anno 1228. ab Henrico Rege genero suo, absente ejus in Palæstina patre Friderico, IX. Cal. Septembris Eslingæ pri-  
vilegium accipit Regiam in Ducali pileo coronam ferendi, et Eques homagium præstandi.

Anno eodem feuda quædam in Carniolia emit a Geroldo Episcopo Frisingensi.

Anno 1230. in Italiam proficiscitur ad restituendam concordiam inter Pontificem, & Imperatorem Fridericum II.

Re confecta eodem anno ad S. Germanum moritur V. Cal. Augusti. *Necrol. Claustro-Neoburg.*

Carnes Cassini sepultæ, ossa in Austriam deportata, in Lillienfeld sepulta sunt 30. Novembris ab Eberhardo Salisbur-  
genfi Archi-Episcopo: qui eadem die eam Ecclesiam dedicavit.

Uxor THEODORA, aut quod idem DOROTHEA ex COMNENORUM Imperiali familia. Nupta 1203.

Absente in Palæstina Marito Provincias administrat Anno 1217.

Vidua 1230. Judenburgi confidet metu filii Friderici.

Anno 1236. fugit in Bohemiam, unde reversa habitavit in Monte Cetio, ubi anno 1246., audita filii nece, octavo a  
morte ejus die 22. Junii ipsa contabuit.

Sepulta Claustro-Neoburgi in Choro. *Sunthem.*

AGNES, aliis CHUNE-  
GUNDA, a Sunthemio, Fröli-  
chio non reclamante, desponsa  
fertur OTTOCARO VI. primo  
& ultimo Styriæ Duci, ex gen-  
te sua, mortuo 1192. 8. Maji.  
Mortua pridie Nonas Augu-  
sti. *Necrol. Claustro-Neoburg.*

PROFICILIA VI VIRTUTUM IN RATIONE

-NOTICE: THE OWNERS  
 OF THIS LIBRARY  
 HAVE BEEN ADVISED  
 THAT THE BOOKS  
 IN THIS LIBRARY  
 ARE THE PROPERTY  
 OF THE UNIVERSITY  
 OF TORONTO  
 AND ARE NOT TO BE  
 LOANED OR  
 REPRODUCED  
 WITHOUT THE  
 PERMISSION OF  
 THE UNIVERSITY  
 OF TORONTO  
 LIBRARY  
 1285 SPADINA AVENUE  
 TORONTO, ONTARIO  
 M5S 1A5

The text in this column is extremely faint and largely illegible. It appears to be a continuation of the philosophical or moral treatise mentioned in the header. The text is arranged in several paragraphs, separated by small gaps. The right edge of the page shows signs of wear, including small holes and irregular markings.



T A B U L A VIII.

LEOPOLDUS VII. GLORIOSUS. AUSTRIÆ DUX IV. STYRIÆ III. UXOR THEODORA.

MARGARETA Nata 1205. IV. Idus Aprilis.  
 Nupta Norimbergæ 1225. Cal. Nov. HENRICO Regi,  
 Friderici II. Imp. filio.  
 Coronata Aquisgrani a Colonienfi Archi-Episcopo 1227.  
 Marito præmisso, in Italiam abducitur Anno 1235. cum  
 duobus filiis FRIDERICO, & HENRICO, qui toxico necati  
 a quibusdam feruntur.  
 Maritus in carcere exstinctus in Apulia 1244. *Chron. Austr.*  
 Ipsa in Calabris detenta, dimissa Anno 1245.  
 Secedit Treviros ad Monasterium Virginum S. Dominici  
 a S. Catharina compellatum; non tamen Ordinem ingressa.  
 Inde se confert Heimburgum Austriae Anno 1247.  
 Nupta iterum VI. Idus Aprilis 1252. in Heimburgh,  
 OTTOCARO Wenceslai I. Bohemiae Regis filio.  
 OTTOCARUS mortuo Patre fit Rex Bohemiae. A. 1253.  
 Anno 1261. repudiatur MARGARETA.  
 XV. Cal. Nov. remittitur in Austriam, sedit in Chremis,  
 & in Crumpenawe, cui tractui olim, apud veteres, Poyg-  
 reich nomen erat.  
 OTTOCARUS X. Cal. Januarii Pragæ alteras nuptias cele-  
 brat cum CHUNEGUNDE, Hostislai Maffoviae Ducis, &  
 Constantiae fororis Belæ IV. Hung. Regis filia.  
 MARGARETA mortua Crembfii 1267. IV. Cal. No-  
 vembr. *Necrolog. Claustro-Neoburg.*  
 Sepulta in Lilienfeld.  
 OTTOCARUS ex 2da uxore reliquit WENCESLAUM  
 II. Reg. Boh. & Pol.  
 Anno 1275. a Rudolpho Rege & Imperio terris Au-  
 striacis excidisse declaratur.  
 Anno 1276. Homagium Viennæ Rudolpho Regi præstat.  
 Anno 1278. 26. Augusti prope Weidendorff in prælio  
 cæditur. Primum in Marchegg, subinde Viennæ apud Mi-  
 nores depositus, dein Zuonymæ in templo Patrum S. Domi-  
 nici, demum Pragæ Regia pompa conditus in sacra D.  
 Francisci Alumnorum æde, quos fundavit. Cor Viennæ  
 apud Minores Conventuales in templo S. Catharinæ huma-  
 tum est, quibus novam Ecclesiam in honorem S. Crucis  
 condere cœpit.

AGNES.  
 Nata Anno  
 1206. XIV.  
 Cal. Augusti.  
 Nupta  
 WERNHAR-  
 DO Duci An-  
 haltino de Sa-  
 xonia, Viennæ  
 Anno 1222.  
 Mortua IV.  
 Cal. Sept. *Necr.*  
*Claustro-Neob.*  
 Ante annum  
 1248. quod in  
 partitione the-  
 sauri fratris Fri-  
 derici non me-  
 moretur.

LIUPOLDUS.  
 VIII.  
 Natus Viennæ  
 Ann. 1207. VIII.  
 Cal. April. *Chron.*  
*Austr.*  
 Lapsus ex ar-  
 bore Claustro-Neob-  
 burgi, ibidem mo-  
 ritur anno 1216.  
 Idibus Aug. *Necrolog.*  
*Claustro-Neoburg.*  
 alii XII.  
 Cal. Novembris.  
 Ibidem sepultus.

HENRICUS *Crudelis*, V.  
 hoc nomine, perperam dictus  
 Medlingensis ab Arenpekio,  
 Haselbachio, &c. ea opinione  
 ductis, quasi Henricus II.  
 Medlingensis citius obivisset,  
 & tamen alicujus Henrici  
 Medlingensis mentio deinceps  
 fiat in literis.  
 Natus est Anno 1208. XV.  
 Cal. Junii.  
 Ducit uxorem Norimbergæ  
 1225. Cal. Novembr.  
 Moritur exul apud Ottoca-  
 rum Moraviae Marchionem,  
 & poenitens anno 1228. VI.  
 Cal. Octobr. *Chron. Austr.* vel  
 IV. Non. Julii, ut *Epitaphium*  
*notat.*  
 Sepultus ad S. Crucem in  
 Sattelbach.  
 Uxor RICHARDIS, seu  
 AGNES, ut Hergott; filia  
 Hérmanni, soror Ludovici,  
 Thuringiae Landgravii, qui  
 fuit Maritus S. Elisabethæ.  
 Nupta Norimbergæ Cal.  
 Nov. 1225.  
 Mortua VI. Cal. Martii.  
 Sepulta ad S. Crucem in  
 Valle Nemorosa.

GERTRUDIS.  
 Vide Tabulam X.

FRIDERICUS  
 II. *Bellicosus*  
 Austriae Dux V.  
 Styriae IV.  
 Ex Baben-  
 bergica gente  
 ultimus.  
 Natus 1211.  
 XVII. Cal. Julii  
 Neostadii.  
 Reliqua vide  
 Tabula sequenti.

CONSTANTIA.  
 Nata 1212. prid.  
 Non. Maji.  
 Nupta HENRICO  
 Marchioni Misniae, in  
 Stadlawe, in octavis  
 Pascae Anno 1234.  
 30. Apr. præsentè Rege  
 Ungariae, Rege Bohe-  
 miae, Duce Saxoniae,  
 Duce Carinthiae, & Ar-  
 chi-Episcopo Salisb.  
 Mortua 1262. No-  
 nis Julii. *Steyerer in*  
*Dissertat. M. S.*

1.  
 ALBERTUS *Degener.*  
 natus Anno 1240. Mor-  
 tuus anno 1314. ex quo  
 Duces Saxoniae.

2.  
 THEODORICUS.  
 Marchio Misniae. N.  
 1242. Mortuus anno  
 1283.

GERTRUDIS.  
 Nata anno 1214.  
 VII. Idus Januarii.  
 Nupta Neostadii  
 mense Junio Anno  
 1240. HENRICO  
 Rasponi Landgra-  
 vio Thuringiae, ele-  
 cto apud Herbipo-  
 lim Rom. Regi, A.  
 1246. Mortuo  
 1247.  
 Ipsa sine prole  
 mortua, ut habet  
*Eckardus*; ante an-  
 num 1248. quod  
 in divisione the-  
 sauri a Friderico  
 fratre relicti nulla  
 ejus mentio. III.  
 Non. Martii. *Necr.*  
*Claustro-Neob. sub*  
*nómine Bertha.*



FRIDERICUS ...  
 Anno 1780 ...  
 Anno 1781 ...  
 Anno 1782 ...  
 Anno 1783 ...  
 Anno 1784 ...  
 Anno 1785 ...  
 Anno 1786 ...  
 Anno 1787 ...  
 Anno 1788 ...  
 Anno 1789 ...  
 Anno 1790 ...  
 Anno 1791 ...  
 Anno 1792 ...  
 Anno 1793 ...  
 Anno 1794 ...  
 Anno 1795 ...  
 Anno 1796 ...  
 Anno 1797 ...  
 Anno 1798 ...  
 Anno 1799 ...  
 Anno 1800 ...

T A B U L A IX.

FRIDERICUS *Bellicosus*, Dux Austriae V. Styriae IV. ultimus e Stirpe Babenbergica.

Natus Neostadii XVII. Cal. Julii Anno 1211.

Anno 1231. Mense Novembri in sigillo novum Austriae scutum, fasciam albam in campo rubro, primus adhibet.

Anno 1232. festo Purificationis in templo Scotorum gladio accingitur cum 200. terrae suae Nobilibus; vestiti omnes rubra tunica cum albo cingulo.

Anno 1233. se scribit Dominum Carnioliae.

Anno 1236. a Friderico Caesare proscribitur.

Anno 1240. Viennam recuperat, & cum Caesare in gratiam redit.

Anno 1245. proficiscitur in Italiam ad Caesarem, qui praeter alia privilegia aucta firmataque Regium etiam nomen ei obtulit, si uti voluisset.

Anno 1246. die S. Viti in pugna ad Leutham contra Belam IV. Hung. Regem Victor, hostili telo faucibus occumbit.

Sepultus ad S. Crucem in Sattelbach.

Uxor 1<sup>ma</sup> GERTRUDIS de Brunshwig, Nupta Martio mense in Brunswico 1226.

Altero mense XIII. Cal. Maji defuncta.

Sepulta ad S. Crucem in Capitulo.

Uxor 2<sup>da</sup> ZOPHIA Theodori Lascaris, Graeci Imperatoris filia, soror Mariae, conjugis Belae IV. Ung. Regis.

Nupta 1226. Repudiata 1229.

Uxor 3<sup>tia</sup> AGNES Ottonis Meraniae Ducis filia, Neptis Gertrudis, quae fuit Uxor Andreae II. & Mater Belae IV. Ung. Regum,

Nupta Viennae 1230. *Chron. Austr.*

Dimissa in Friesach 1243. seu 1244. ut *Chron. Austr.*

Nupta dein ULRICO III. Carinthiae Duci Anno 1248.

Mortua 1262.

Maritus 2<sup>dus</sup> mortuus 1269.



THE HISTORY OF THE

... of the ... in the ... of the ...

THE HISTORY OF THE

... of the ... in the ... of the ...

... of the ... in the ... of the ...

T A B U L A X.

GERTRUDIS Henrici *Crudelis* filia, Nata 1226.

Anno 1245. Nuptias Friderici II. Imp. recusat, nisi Pontifici reconcilietur.

Eodem anno desponsa WLADISLAO Seniori filio Wenceslai I. Bohemiæ Regis, Marchioni Moraviæ; Nupta eidem Anno 1246.

Occiso subinde Friderico Bellicoso, WLADISLAUS, Moraviæ Marchio, hæres Austriæ & Styriæ esse voluit titulo uxoris; sed conatui immortuus est sine prole.

Anno 1247. 16. Januarii Vidua GERTRUDIS se refert in Austriam, & sedet in Medling.

Anno 1248. Nubit HERMANNO Marchioni Badensi, Hermanni & Irmengardis filio.

Anno 1250. IV. Non. Oct. (*Necrolog. Claustro-Neob.*) moritur HERMANNUS, Claustro-Neoburgi sepultus: GERTRUDIS iterum vidua se confert in Misniam ad Amitam suam Constantiam.

Anno 1252. GERTRUDIS Bela IV. Hung. Rege conciliante nubit iterum in Hündperg ROMANO Ruscici Ducis, Danielis filio, Leonis fratri, ut habet Bzovius ad Annum 1260. Belæ Regis Nepoti.

Cum novo Marito Judenburgum in Styriam abit, per Belam Regem Austriæ dominium expectans, sed frustra.

Anno 1253. Gravida deseritur a Marito ROMANO. Anno 1254. parit Mariam: subinde ab Ottocaro Bohemiæ Rege, & Austriæ Domino relegatur in Feistriz; inde ex tota Styria ab eodem pellitur, ob filiam Mariam, Stephano Zagrabæ Ducis filio desponsam.

Demum se recipit in Misniam ad Amitam Constantiam, in Monasterio reliquum vitæ exactura, ubi & mortua VIII. Cal. Maji. *Necrolog. Claustro-Neob.* post Annum 1261., ut scribit Hergott.

*Ex secundo Marito, Hermanno Badensi.*

Natus Anno 1249. FRIDERICUS, subinde cum Conradino Suevo Neapoli decollatus 29. Octobr. 1269, cum eoque ibidem sepultus ad preces Elisabethæ Matris Conradini in ædicula S. Eligio, & Martino sacra, quam dein Patres a Carmelo dicti tenuerunt.

Anno 1251. in Misnia apud Constantiam Amitam nata est AGNES posthuma. Hæc AGNES 1263. nupta est ULRICO III. Carinthiæ Ducis, mortuo 1269.

Ex hoc nullam habuit prolem: ipse tamen Ulicus Carnioliam, Gertrudi faventem, occupat.

AGNES Vidua, volente Ottocaro Rege, nubit 1270. ULRICO Heunburgio in Carinthia: ex quo geniti FRIDERICUS & HERMANNUS, qui ultra annum 1320. vitam non diu produxere, nullis liberis relictis. Fœminea stirps cum omnibus ex ea prognatis anno 1480. desit. Utrumque ostendit Frölichius in specimine Genealogico Comitum Sounekiorum, & Heunburgiorum. pag. 40. 42. & 116.

AGNES Mortua 1295. 2. Januarii, sepulta Viennæ ad S. Crucem apud Patres Conventuales in Choro.

ULRICUS Maritus mortuus circa annum 1308.

*Ex tertio Marito Romano.*

GERTRUDIS, Anno 1254. genuit MARIAM.

MARIA nondum nubilis, Matris voluntate desponsa Stephani Zagrabæ Comitum, & Belæ IV. Regis Hung. in Styria Capitanei filio Anno 1261.

GERTRUDIS ideo ab Ottocaro Rege ex Styria pellitur.

*Erat hic STEPHANUS Banus & Dux totius Sclavoniæ, qualem se ipse nominat in literis Anno 1254. Græcii datis, quas vide apud Erasmus Fralichium in Diplom. Sacr. Styriæ, P. II. p. 83. Idem hic STEPHANUS erat ex familia Ursinorum Comitum de Wodicha, ut in Rosa Ursina ostendit Joann. Lud. Schönleben, in qua tamen minus recte eidem uxorem tribuit supra dictam MARIAM, sicut hujus Anno 1254. natæ ætas docet. Filio ergo ejus STEPHANO IV. itidem Sclavoniæ Bano desponsa, & nupta est, ex qua nati HENRICUS & STEPHANUS, quorum nulli posterum inveniuntur. Neque contrarium evincit, quod Comites aliqui de Plagay cum Archiduce Leopoldo Wilhelmo Viennæ in aula educati sint; is honor enim aliis quoque, nostra etiam ætate obtigit. Sororis forsitan, quæ in aula tunc erat, commendatione vel meritis ea gratia potuit. Et quamvis Comites de Plagay ab Ursinis itidem trahant originem; non tamen ab Ursinis de Wodicha.*

STEPHANI IV. supra laudati memoria reperitur Anno 1294. & Anno 1316.

*In Rosa Ursina Ludovici Schönleben signa successionis Genealogicæ, in Stephani III. de Wodicha filio permutato ordine posita esse, ex nominibus & cognominibus prudens Lector facile advertet.*

The first part of the paper is devoted to a general  
 consideration of the subject. It is shown that the  
 results of the experiments are in agreement with the  
 theoretical predictions. The second part of the paper  
 is devoted to a detailed description of the  
 apparatus used in the experiments. The third part  
 of the paper is devoted to a discussion of the  
 results of the experiments. It is shown that the  
 results of the experiments are in agreement with the  
 theoretical predictions. The fourth part of the  
 paper is devoted to a conclusion. It is shown that  
 the results of the experiments are in agreement with  
 the theoretical predictions.




---



---

C A P U T XXIII.

*Locus sepulturarum ex Domo Babenbergica defunctorum.*

---

AD MONTES APVD RR. PP. ORD.  
S. BENEDICTI.

---

**C**HUNRADUS filius S. LEOPOLDI, Archi-Episcopus Salisburgensis anno 1168. in Cœnobio Admuntenfi mortuus, sepultusque.

AVGVSTÆ VINDELICORVM.

---

ADALBERTUS Genitor LEOPOLDI *Illustris*, Imi Marchionis AUSTRIÆ, dum S. UDALRICUM Maichingæ obsessum Anno 954. liberat, vulneratus & subinde mortuus, Augustæ Vindelicorum terræ mandatur ab eodem S. UDALRICO ejus urbis Episcopo.

CLAVSTRO-NEOBVRGI  
IN CAPITVLO COLLEGII CAN. REG.  
S. AVGVSTINI.

---

S. LEOPOLDUS, hoc nomine IV. Marchio VI. decessit in Kalenberg XVII. Kal. Decembr. Anno 1136. in Capitulo  
*Notit. Vindob.* Hh



pitulo sepultus, XIII. Kal. Dec. *Rikardus Newburg.*  
 Translatus anno 1506. 15 Februarii, agente & præ-  
 sente MAXIMILIANO I. Imp. LEONARDO Archi-Episco-  
 po Salisburgensi, WIGULÆO Episcopo Passaviensi,  
 MATTHÆO Gurcensi Episcopo, & Cardinale; præsentem  
 item Duce Julix & Clivix, ac innumeris aliis.

AGNES, LEOPOLDI Sancti Vidua, mortua anno  
 1157. in Capitulo deposita juxta maritum.

ADALBERTUS II. LEOPOLDI S. filius obiit anno  
 1137. 9. Novembris, juxta patrem in Capitulo locatus.  
*Chron. Austr.*

Inscriptio sepulchralis Claustro-Neoburgi, sed recen-  
 tior sic habet: HIC EST SEPULTUS PRIMOGENITUS S. LEOPOLDI,  
 NOMINE ADALBERTUS, DUX AUSTRIÆ &c.

Adverte tamen hujus cœnotaphium antiquis chara-  
 cteribus inveniri quoque in Capitulo S. Crucis ad Sattel-  
 bach, ut infra docebimus, assignato eodem die mortis,  
 nempe V. Idus Novembris; cum Claustro-Neoburg.  
 Necrologium itidem notet diem V. Idus Novembris.  
 Non ergo San-Crucense monumentum ALBERTI LEVIS  
 est, fratris LEOPOLDI III. Marchionis V, ut quidam vo-  
 lunt; nam ALBERTUS ille nullus erat. *V. CALLES. P. I.*  
*Annal. Bab. pag. 423.*

Proles S. LEOPOLDI in infantia mortuæ, & Claustro-  
 Neoburgi humatæ.

Prima nata circa A. 1111. Mort. -

Al-



Altera circa A. 1113. M. -

Tertia A. 1116. M. -

Quarta A. 1117. M. -

Quinta A. 1120. M. eodem.

Sexta A. 1121. M. eodem.

Septima A. 1128. M. eodem.

Octava A. 1129. M. eodem.

LEOPOLDUS VIII. filius LEOPOLDI *Gloriosi*, - AUSTRÆ Ducis. Mortuus Anno 1216. Idibus Augusti Claustro-Neoburgi, & ibidem sepultus.

HENRICUS IV. Junior de Medelich post annum 1232. mortuus, & Claustro-Neoburgi sepulchro illatus.

THEODORA, LEOPOLDI *Gloriosi* Vidua, 1246. 22. Junii in Monte Cetio defuncta, Claustro-Neoburgi sepelitur.

HERMANNUS Marchio Badensis, GERTRUDIS Junioris maritus, Anno 1250. decessit Viennæ, Claustro-Neoburgi sepulturam nactus.

### CONSTANTLÆ.

ERNESTUS II. Dux Sueviæ, obiit Anno 1030. quiescit in æde B. V.

HERMANNUS III., frater, Dux Sueviæ, Anno 1038. in Italia defunctus, in Suevia sepultus.



DOXANÆ IN BOHEMIA.

---

GERTRUDIS filia S. LEOPOLDI, WLADISLAI Bohemiarum Ducis, postea Regis conjux, anno 1151. excessit, humata in Coenobio Virginum Præmonstratensium, quod fundavit.

GARSTENÆ IN MONASTERIO ORD.  
S. BENEDICTI

---

ELISABETHA, LEOPOLDI III. filia, Conjux OTTOCARI IV. Styrensis Marchionis.

GOTTVICII IN COENOBIO ORDINIS  
S. BENEDICTI

---

HERBIRGIS, LEOPOLDI III. filia, post mortem mariti sacrum habitum hic induta circa annum 1125. Mortua ibidem 8. Junii Anno 1142. & tumulo illata est.

IN TEMPLO LILIENFELDÆ RR. PP.  
CISTERCIENSIVM.

---

LEOPOLDUS VII. Austriarum Dux IV. Styriarum III. Coenobii Lilienfeldensis fundator, mortuus ad S. Germanum in Apulia Anno 1230. V. Kal. Augusti; viscera ejus & carnes sepulta sunt in Monte Cassino, ossa in AUSTRIAM translata, condita sunt in Presbyterio templi Lilienfeldensis ea die consecrati, videlicet 30. Novembr. 1230. Præsente FRIDERICO filio, THEODORA Vidua, CON-



STANTIA & GERTRUDE filiabus: BERNARDO item Duce Carinthiæ, EBERHARDO Archi-Episcopo Salisburg. GEBHARDO Episcopo Patavienfi, RUDIGERO Episcopo Chiemenfi, & aliis.

MARGARETHA, LEOPOLDI VII. filia, HENRICI Rom. Regis, & OTTOCARI Bohemiæ Regis Vidua, mortua Cremsii Anno 1267. 28. Octobr. sepulta in Lilienfeld.

### LVThERÆ REGIÆ.

---

GERTRUDIS HENRICI I. Auftriæ Ducis prima uxor, LOTHARII II. Imp. filia, HENRICI Superbi Saxonæ ac Bavaræ Ducis Vidua, mortua Anno 1143. apud Patrem & Matrem ac priorem maritum Lutheræ Regiæ sepulta scribitur. Sed in supplem. Chron. Slavorum HELMOLDI, ARNOLDUS Lubec. ad Annum 1171. scribit, HENRICUM LEONEM, GERTRUDIS ex HENRICO Superbo filium venisse Claustro-Neoburgum, ubi Mater ejus, Domina GERTRUDIS, memorabilem fortita est sepulturam. SUNTHEMIUS tamen in tabulis Claustro-Neoburg. de loco sepulturæ GERTRUDIS nihil se in Chronicis reperisse profitetur. Unde Calles. T. VI. Ann. Ecc. Germ. autumat Viennæ GERTRUDEM mortuam, dein Claustro-Neoburgi sepultam, demum petente HENRICO Leone filio Lutheram Regiam transvectam, & parentibus, ac conjugii priori aggregatam.



MELLICII IN TEMPLO PRIMVM CANONICO-  
RVM SECVLARIVM, DEIN RELIGIOSORVM  
S. P. BENEDICTI.

---

LEOPOLDUS *Illustris*, mortuus Anno 994. primum Würceburgi conditus : post annum 1015. Mellicium translatus.

RICHARDA UXOR ejus.

HENRICUS I. Marchio Austriae II. Anno 1018. defunctus.

MATHILDIS UXOR ejus.

ADALBERTUS I. Marchio Austriae III. 1056. obiit.

FROWIZA UXOR ejus.

ADELHEYDIS, LEOPOLDI II. Vidua, quae Anno 1071. decessit.

ERNESTUS III. Marchio IV. vita functus An. 1075.

SUANHILDIS UXOR ejus.

JUDITHA, ERNESTI III. filia.

LEOPOLDUS III. Marchio V. excessit Anno 1096. sepultus in templo PP. Ord. S. BENEDICTI, quos Clericis substituit. Conditi olim hi omnes erant sub lapide circulari, in cujus limbo legitur :

*Quinque Pii Proceres, & sex Clarae Mulieres  
Semet cum donis nostris tribuere Patronis.*

*Nomina conscripta rota continet, & lapis ossa.*

IN



## IN AREA CIRCVLI.

*Marchiones**Austriæ.**Leupoldus, Primus fundator.**Henricus, qui S. Cholommanum contulit  
nobis.**Adalbertus, qui S. Crucem huc attulit.**Ernestus, Lanceam S. Mauriti, & craterem  
S. Udalrici.**Leupoldus, qui Monasticam vitam  
hic instituit.**Marchionissæ**Richkart, Suenhilt, Al-bayt.**Frowiza, Mehtilt, Juditta.**Ut sint in Cælis animæ.**pete quisque Fidelis.*

## EPITAPHIVM MARCHIONVM.

*Mors quasi cæca furit, quasi ventus, hyems rapit, urit,  
Cum foliis flores vorat omnis Carnis honores.**Quinque sub hac tumba mortis Proceres tenet umbra.**Quos redimens gratis Deus omnibus adde Beatis.**Marchio Liupaldus a verme sit, igneque Salvus:**Hujus honor sedis, fons Cænobii, Pater ædis.**Hac situs in fossa, Cholomanni Martyris ossa**Fratribus Henricus dedit his, Princeps & Amicus.**Dor-*



*Dormit Adalbertus, hic surget luce refertus.  
 Quem sopor hic urget, Lempaldum gratia purget.  
 Vita sit Ernusto, pars omnibus in grege iusto.  
 Confer eis Vitam, virtute, fideque petitam.*

EPITAPHIVM MARCHIONISSARVM.

*O Dolor, o Luctus! heu vae tuus est caro fructus:  
 Lege pari Dominas sex legis hic domitas:  
 Ribkart, & Schwanbilt, Albeit, & Frewiza, Mehtilt;  
 Sexta Puella ruit, Judita dicta fuit.  
 Forma jacens, & fama tacens gravium Dominarum  
 Vota movent, dum fata monent miseras miserarum.  
 Has Deus attulit, abstulit ut stellas Orienti;  
 Nunc lavet, induat, instruat, ut sponso venienti.  
 Sex celebres Dominae celebrant hic vota ruinae.  
 Ribkart sexta puella datur, bene Judittaque vocatur.  
 Justus ut ancillas Dominus dedit, abstulit illas.  
 Sacris ergo thoris has fœdere jungat amoris.  
 Hos Cinerum flatus Deus excipe, solve reatus!*

IN MISNIA.

GERTRUDIS, HENRICI Crudelis filia, Vidua WLA-  
 DISLAI Moraviae Marchionis, HERMANNI Badensis,  
 & ROMANI Russiae Ducis; Misniae mortua est anno  
 1261. in Monasterio, quod ingressa fuit, & sepulta.

MORIMVNDI.

OTTO, S. LEOPOLDI filius, Episcopus Frisingensis, Ann. 1158. terris ereptus, in Monasterio Cisterciensium, ex quorum erat Ordine, tumulatus.

NEAPOLI.

FRIDERICUS, HERMANNI Badensis, & GERTRUDIS Austriacæ filius, obiit Neapoli 29. Oct. 1269. ibidem sepultus in ædícula S. ELIGIO, & MARTINO sacra, quam dein Patres de Carmelo tenuere.

RATISBONÆ.

BERTHA, S. LEOPOLDI filia, Uxor HENRICI II. DE STEPHANINGEN Burggravii Ratisbonensis, apud Scotos Benedictinos requiescit.

IN MONASTERIO S. CRVCIS AD SATTEL-  
BACH, NVNC IN VALLE NEMOROSA PP.  
CISTERCIENSIVM IN CAPITVLO.

ADALBERTUS II. S. LEOPOLDI filius Anno 1137. obiit. Lapidis inscriptionem vide apud Ernestum.

LEOPOLDUS V. cognomento Largus S. LEOPOLDI filius, Marchio Austriæ VII. Bavarix Dux I. Anno 1141. in Nider-Altahe defunctus, dein in Austriam delatus ad S. Crucem conditur. Inscriptio: ✠ XV. KL. NOV. Θ LIUPOLDUS DUX BAVARIÆ.

*Notit. Vindob.*

li

ER-



ERNESTUS IV., S. LEOPOLDI filius, extinctus anno 1142. Epitaphium: ✠ V. Idus Nov. ALBERTUS. X. Kl. FEBR. ERNESTUS MARCHIONES Θ.

LEOPOLDUS VI. Austriæ Dux II. Styriæ I. Virtuosus dictus, Græcii mortuus Anno 1194. II. Kal. Januarii. Sepultus ad S. Crucem Anno 1195. Idibus Januarii. Epitaphium: ✠ II. Kl. JANUARIJ Θ LIUPOLDUS DUX AUSTRIÆ, ET STYRIÆ.

FRIDERICUS I. Catholicus, Austriæ Dux III. Styriæ II. Mortuus in Palæstina Anno 1198. XVI. Kal. Maji, sepultus ad S. Crucem in valle nemorosa V. Id. Octobr. Epitaphium: XVI. Kl. MAJI Θ. FRIDERICUS DUX AUSTRIÆ.

HENRICUS III. dictus Medlingensis Senior, excessit Anno 1223.

RAIZA, HENRICI prædicti conjux, cum eodem sub uno lapide quiescit, Inscriptio: X. I. I. I. I. Kl. FEBR. HENRICUS DUX DE MEDELICH --- IZA DUCISSA UXOR EJUS.

HENRICUS V. cognomine Crudelis, LEOPOLDI VII. filius, mortuus in Moravia Anno 1228. sepultus ad S. Crucem cum sequenti inscriptione: ✠ IV. Non. JULII Θ. HENRICUS JUNIOR CRUDELIS. Nota hanc inscriptionem in imagine, non vero in lapide legi: a Sunthemo & Arenpekio Claustro - Neoburg. sepultus scribitur.



RICHARDIS, seu AGNES, UXOR HENRICI V. sepulta ibidem; lapidis inscriptionem vide infra apud Gertrudem.

FRIDERICUS Bellicosus, Austriae V. Styriae IV. Dux, & ultimus ex Babenbergica gente. Occisus in praelio prope Neostadium 15. Junii 1246. Sepultus ad S. Crucem. In lapide ejus statua cum novo Austriae scuto, cingulo ac veste, quam Nobilibus equitibus ad militiam authoratis Anno 1232. propriam esse voluit. Inscriptio: ✠ XVII. KAL. JULII Θ. FRIDERICUS BELLICOSUS S. LEOPOLDI ABNEPOS. REX SALUT. ULTIMUS BABENB. FAM. Nota, in imagine vicina non in lapide haec leguntur.

GERTRUDIS prima ejus uxor defuncta 1226. ibidem humata sub uno lapide cum RICHARDE. Lapidis inscriptio: ✠ XIII. KL. MAJI Θ. GERTRUDIS DE BROUNSWICH, DUCISSA AUSTRIAE. VI. K. MART. Θ. RICHARDIS LANTGRAVIA DE WALDERSTORF.

Ad S. Crucem in Capitulo sepultum quoque HENRICUM Juniolem de Medelich Reverendissimus HERGOTT scribit, sed argumentis non sat firmis; quippe non ex lapide sepulchrali, sed icone parieti affixa, & scripto aliqujus ejus Domus Religiosi non perantiquo.



### SCHWEINFORDIÆ.

---

HENRICUS Marchio Schwinfurtenfis, mortuus An. 1017. Schweinfordiæ extra Ecclesiam, juxta januam, ut ipse petiit, sepultus.

OTTO, HENRICI filius, Marchio Schwinfurtenfis, extinctus Anno 1058. Schweinfordiæ humatus.

### SPIRÆ.

---

GISELA, ERNESTI I. Sueviæ Ducis conjux, dein CONRADI Salici Imp. Uxor, mortua Anno 1043. terræ mandata juxta CONRADUM Salicum, secundum maritum.

### TREVIRIS.

---

LEOPOLDUS II., ADALBERTI I. Marchionis filius, mortuus Ingelhemii Anno 1043. Trevis sepultus a POPPONE Patruo.

POPPO Archi-Episcopus Trevirensis, filius LEOPOLDI Illustris, defunctus Anno 1047. conditus in porta Civitatis, quæ Nigra compellatur, ubi B. SYMEONEM terræ mandaverat.

CHRISTIANA, soror POPPONIS, Virgo Deo sacra Trevis, ibidem sepulta Anno 1047.

VIEN-



VIENNÆ  
APVD RR. PP. ORD. S. BENEDICTI VULGO  
AD SCOTOS.

---

HENRICUS II. *Jochsomirgott*, I. Austriæ Dux, occubuit Idibus Januarii Anno 1177. sepultus XVIII. Kal. Febr. ad Scotos, in medio templi.

THEODORA secunda HENRICI Ducis uxor, Anno 1184. Marito apposita.

AGNES filia utriusque, STEPHANI III. Hung. Regis vidua, Parentibus adjuncta Anno.

APVD RR. PP. CONVENTVALES AD S.  
CRUCEM.

---

OTTOKARUS Bohemiæ Rex, in prælio cæsus 26. August. 1278. apud Patres Conventuales ad S. Crucem depositus, ejus cor & exta ibidem humata in Sacello S. CATHARINÆ; corpus subinde Pragam translatum.

AGNES, HERMANNI Badensis, & GERTRUDIS Junioris filia, vidua ULRICI III. Carinthiæ Ducis, & subinde ULRICI Heunburgici, mortua Anno 1295. sepulta in choro templi S. Crucis.



## WÜRCEBURGL

LEOPOLDUS *Illustris*, mortuus VI. Id. Julii anno 994. Würceburgi, sepultus ibidem. V. Id. Julii. *Ditmarus L. IV. pag. 352.* Tandem Mellicium translatus post Annum 1015.

ERNESTUS I. Sueviæ Dux, Anno 1015. extinctus, & penes patrem sepultus est, ut ipse petiit.

## C A P U T XXIV.

### *Tabula Ichnographica Urbis Viennensis explanata.*

- R**ot-Thurn.  
 B. Saltz-Thor.  
 C. Beratschlagte Pafthei durch Augustin Hirsfogel. *Modo propugnaculum Novum.*  
 D. *Locus, ubi nunc porta Nova.*  
 E. *Vasta turris in aula Passaviensi inferiori.*  
 F. Werder-Thor. *Nunc antiqua turris in Armamentario navali.*  
 G. Beratschlagte Pafthei durch Augustin Hirsfogel. *Hodie propugnaculum ab Exilio dictum.*  
 H. Juden-Thurn.  
 I. Schotten-Thor.  
 K. *Propugnaculum Mellicense.*  
 L. Röm. Königlicher Mt. Pafthei. *Nunc propugnaculum Leoninum.*  
 M. Burgckh-Pafthei. *Nunc Spanier, infra quod porta Palatina.*  
 N. Herrn Lienhard Freyhern von Fels seeligen beratschlagte Pafthei. *Modernis propugnaculum Carinthiacum.*  
 O. Kerner-Thor.  
 P. *Turris vulgo Carinthiaca.*  
 Q. Heiners Pafthei zu erweitern. *Modo propugnaculum a fonte artificiali dictum.*  
 R. Im



- R. Im Winckel ein Kaze, inwendig der Stadt zu machen, durch Augustin Hirsfogel beratfchlagt.
- S. Jacober - Pafthei zu erweitern. *Nunc propugnaculum Braunianum.*
- T. Stuben - Thor.
- U. Prediger - Pafthei.
- W. *Turris Fibri, ubi olim porta civitatis.*
- X. Piber - Pafthei zu erweitern.
- Y. *Turris Bufonum.*
- Z. *Pharus. Seu Fachthurn.*
1. *Küffen - Pfenig.*
  2. Schabenrüfel.
  3. *Gäfl beim Räd.*
  4. *Kazen - Steig, Vulgo.*
  5. *Templum SS. Trinitatis.*
  6. Am Kienmarckt.
  7. S. Ruprecht.
  - \*\* *Warer Kazensteig.*
  8. Prager - Haus.
  9. Sieben Schwinbögen.
  10. *Carmeliterinen.*
  11. Rot Krois.
  12. Zum bloben Hecht.
  13. *Rofmarin - Gäfl.*
  14. Auf der Fischerftiegen.
  15. Am Salzgries.
  16. Unfer Frauen Kirch.
  17. Auf Unfer Frauen Stiegen.
  18. Auf der Goldfchmid.
  19. *Armamentarium navale inferius.*
  20. Im tieffen Graben.
  21. Auf der hohen Brucken.
  22. *Templum PP. Theatinorum.*
  23. Im Elend. *Nunc armamentarium navale superius.*
  24. Salzburger - Hof. *Hodie armamentarium Cesareum.*
  25. *Renn - Gafsen.*
  26. Aufm Steinfeld. *Hodie auf der Freyung.*
  27. Schotten - Kirch.
  28. Schotten - Hof.
  29. Ainfeld - Strafs. *Aliis Teinfalt - Strafs: utrumque ex abusu Vulgi. Mihi*  
*Steinfeld - Strafs ex vicino loco Steinfeld nuncupato.*
  30. Ro-



30. *Rosen - Gässel.*
31. Die vorder Schenck - Straß, vor zeiten Wendler - Straß. *Nunc die hintere.*
32. Die hinter Schenck - Straß. *Nunc die vordere.*
33. *Freyd - Hof.*
34. Zum innern Brüdern.
35. Land - Haus.
36. Die Hoch - Straß. *Hodie platea Dominorum.*
37. *Sacellum Harrachianum.*
38. *Sacellum Liechtensteinianum.*
39. Schaufel - Gäß.
40. Siller - Hof.
41. Das neu Spital.
42. *Sacellum S. Catharinæ.*
43. Der Rö. Kn. Mt. &c. unsers allergnedigsten Herrn Burgckh.
44. Rö. Kn. Mt. Zeug - Haus. *Nunc Stallburg.*
45. Augustiner - Gassen.
46. Graf von Salm. *Nider - Oesterreichische Canczeley.*
47. Augustiner - Closter.
48. Schwein - Marckt.
49. Burger - Spital. *Olim Monasterium Virginum S. Claræ.*
50. St. Clara.
51. Am Ros - Marckt.
52. *Comædie - Gässel.*
53. Kerner - Straß.
54. Krug - Straß.
55. In der Pipinger - Straß. *Modo platea S. Annæ.*
56. St. Anna, *cum domo peregrinorum: hodie Domo Probationis S. J.*
57. St. Johans. *Melitenium.*
58. St. Johans - Gassen.
59. *Templum & Asceterium Sociarum S. Ursule.*
60. Aufm Rauenstein.
61. Trabaten - Straß.
62. Aufm Steig.
63. Himelporten.
64. Auf der Dagken. *Nunc Ballgäß.*
65. In der Weichenburgck.
66. *Franciscaner Platzl.*
67. St. Jeronimo.
68. *Seilerstatt.*



69. Filz-Gäßl.
70. Jacober-Gäßl.
71. St. Jacob.
72. Römer-Straß. *Vel Riemer-Straß.*
73. Kumpf-Gäßl.
74. Gasthaus bey der neuen Welt.
75. Beim grün Anger.
76. Parfotten. *Hodie Virgines S. Claræ ad D. Nicolaum.*
77. Vorzeiten untern Schloßern, in der Siningen-Straß.
78. Blut-Gäßl.
79. Teutsch Haus.
80. Diebs-Gäßl.
81. Bürger-Schul. *Ibidem hodie sacra Curia.*
82. Sacellum Defunctorum.
83. Templum S. Magdalene.
84. St. Stephan.
85. Bischoffs-Hof. *Cum Sacello S. Andreæ.*
86. Aula Zweilensis, & Sacellum S. Catharine.
87. Strobel-Gäßl.
88. Die Schul-Straß.
89. Die kleine Schuler-Straß.
90. Juristen-Schul, *cum Ecclesia S. Jyonis, PP. Piar. Schol.*
91. St. Anna Hof.
92. Die Wolzeil.
93. Die Stuben-Gassen.
94. Zum Predigern.
95. Dominicaner Platzl.
96. Der Stadt Zeughaus.
97. In Sau-Winckel.
98. St. Lorenz.
99. Am alten Fleischmarckt.
100. Lorenzer-Gäßl.
101. Drachen-Gäßl.
102. Weissen Wolf-Gäßl.
103. Heiling Kreuzer-Hof.
104. Gras-Hof.
105. Gäßl beim gelben Adler.
106. Sauer Kraut-Gäßl.
107. Untern Hafnern.



108. Auf der Muster.  
 109. Aufm Steig.  
 110. Gulden Hirsch.  
 111. Raben - Gässl.  
 112. Auf der Schüt. N unc auf dem Bergl.  
 113. Rot - Gefsl.  
 114. Koch - Gefsl.  
 115. Fitch - Hof.  
 116. Am hohen Marckt.  
 117. Juden - Gässl.  
 \* \* Berghof. *Vulgo antiquissima domus.*  
 118. Ad Salvatorem.  
 119. Rat - Haus.  
 120. Zum Sieben Brunnen.  
 121. Bilbinger.  
 122. Wildperger - Strafs.  
 123. *Cancellaria Austriaca & Bohemia cum Sacello S. Francisci & Theresie.*  
 124. Untern Felbern.  
 125. Schilter - Gefsl.  
 126. Juden - Plaz.  
 127. Schul - Hof.  
 128. Juden - Gefsl. *Hodie Currenten - Gässl.*  
 129. Pariser - Gässl.  
 130. Im Lederer - Hof. *seu beym 7. Häusern.*  
 131. Ferber - Gässl.  
 132. *Armamentarium Civitatis.*  
 133. An dem Herzogen Hof.  
 134. Weissen Brüder. *Modo Templum, & Domus Professorum S. J.*  
 135. Jesuiter - Platzl.  
 136. Seitzer - Gässl.  
 137. Bey der Holder - Stauden.  
 138. Pogner - Strafs.  
 139. Nagler - Gefsl.  
 140. *Das Neu - Baad.*  
 141. Har - Hof.  
 142. Hinter St. Pongrez.  
 143. Do der Haid Schiest. *Vorhin aufm Kiel.*  
 144. Aufm Bühel.  
 145. Aufm Mist.  
 146. Strauch - Gefsl.



147. Do der Wolf den Genfen predigt.  
148. Walchen - Straß.  
149. *Domus Venationis S. Leopoldi. Hodie Palatium Principum Esterhazy.*  
150. *Liechtensteinsches - Gafsl.*  
151. Am Kolnmarckt.  
152. S. Michael.  
153. *Groß pater noster - Gafsl.*  
154. Peiler - Thor.  
155. Untern Spenglern.  
156. Hub - Haus.  
157. *St. Peters - Gafsl.*  
158. *Aula Seitzenfis cum Sacello.*  
159. Alt Zeug - Haus. Hodie beim Schönbrunn.  
160. *Milch - Gafsl.*  
161. *Ofenloch.*  
162. Untern Sadlern.  
163. Tuch - Leden.  
164. Burger - Schran.  
165. *Brunn - Haus.*  
166. *Kochl - Gafsl.*  
167. Hiener - Gafsl.  
168. Dachher - Gafsl.  
169. Kramer - Gafsl. *Huttstöpfer - Gafsl.*  
170. Am liechten Steg.  
171. Am Harmarckt.  
172. Juncke Laßla am Lugeck. *Reßlius Laeg - eck.*  
173. Marcus Curcius Loch. Non est nisi circulus lateribus coctis descriptus ante aulam Ratisbonensem, qui maximum orbem designat Campani æris anno 1472. fusi, & Pummerin compellati. Denuo fufum anno 1558. quamvis 202. centenariorum, puella 10. circiter annorum ope machinæ Staticæ, quæ hodiedum visitur, absque fatigio in altum extulit. *Tillmez in Memor. de Templo, ac Turri S. Stephani p. 48.*  
174. Die Vorder Pekenstraß.  
175. Köllner - Hof. *Und Capellen.*  
176. In der hintern Peken - Straß.  
177. *H. Creuz - Gafsl.*  
178. *Bey der schön Latern.*  
179. *Altes Universitäts - Haus.*  
180. *Neues Universitäts - Haus.*



381. Collegium Universale. *Hodie Templum & Collegium PP. S. J.*  
 182. Aula universitatis. *Nunc Schole.*  
 183. *Do die Kuhe am Brett Spillt.*  
 184. *Beym Schmekenden Wurm.*  
 185. Brandstadt.  
 186. Am alten Rosmarckt. \* \* Stock in Eisen.  
 187. Hafen - Haus.  
 188. *Beym drey Hasn.*  
 189. *Kupferschmid - Gäsl.*  
 190. *Beym Esel in der Wiegen.*  
 191. *Spitl - Gäsl.*  
 192. Mel - Gruben.  
 193. *Schwarzenbergisches - Gäsl.*  
 194. Neumarckt.  
 195. *PP. Capuciner.*  
 196. Hintern Neumarckt.  
 \* \* Rosen - Gesl, Nunc Rosengassen.  
 197. *Großes Kraut - Gäsl.*  
 198. *Seiler - Gäsl.*  
 199. *Kraut - Gäsl.*  
 200. *Rosmarin - Gäsl bey Stock in Eisen.*  
 201. *Beym Schwarzen Elephant. Addita sequens inscriptio.*  
     Sincera pictura Elephantis  
     Quem Serenissimus Rex  
     Maximilianus  
     primo Viennæ spectandum  
     exhibuit  
     Mense Aprili Anno MDLII.  
*Adverte monumentum hoc tardius positum; nempe cum Maximilianus jam Regio titulo  
 ornatus esset.*  
 202. Hinter St. Dorothea. *Spiegel - Gassen.*  
 203. Die Ferber - Gassen. *Modo Dorothe - Gassen.*  
 204. St. Dorothea.  
 205. *Königliches Kloster.*  
 206. *Beym Spanischen Stall.*  
 207. *Trautsohnische Capell.*  
 208. Die Rot - Straß. *Untere Breuner - Straß.*  
 209. Die Preiden - Straß. *Obere Breuner - Straß.*  
 210. *Sacellum S. Barbara.*

211. Am Graben.  
 212. *Pater Noster - Gäßl.*  
 213. *Jungfern - Gäßl.*  
 214. *St. Peter.*  
 215. *St. Peters Freidhof.*  
 216. *Wo der Hann in Spiegel schaut.*  
 217. *Freyfinger - Hof. Und Capellen.*  
 218. *Schlofser - Gäßl.*  
 219. *Untern Goldschmiden, olim untern Drotleden.*  
 220. *Paurn - Markt.*  
 221. *Alter Haring - Neuer Kien - Marckt. Vulgo der alte Kienmarckt.*  
 \* \* *Chamer Hof.*  
 222. *Winter Gäßl.*  
 223. *In der Lands - Kron.*  
 224. *Die Münzer - Straß.*  
 225. *Gundel - Hof, und Capellen.*


*Advertendum, voces ordinario typo impressas in Tabula Hirsfogliana reperiri: currenti, ut vocant, typo signatæ ex nostro additæ sunt.*



## MENDA GRAVIORA SIC CORIGENDA.

Pag. 21. lin. 7. Arnulphum	Aonulphum
Pag. 22. lin. 18. Contribuit?	Contribuisse dicitur?
Pag. 90. lin. penult. Clöster.	Closter
Pag. 100. lin. { 4. cap. 17.	cap. 15.
{ 10. cap. XVII.	cap. XV.
Pag. 102. lin. 8. Paroecum	Parochum
Pag. 105. lin. 10. seu Turs.	seu Twrs.
Pag. 113. lin. 24. Leopoldus	Leo
Pag. 132. lin. 22. Libr.	Libell.
Pag. 139. lin. 15. Billottianæ	Billiottianæ
Pag. 143. lin. 17. S. Joanni Nepomuceno	S. Joannis Nepomuceni.
Pag. 178. lin. 11. assentit	assenfit
Pag. 206. lin. 9. Orgine	Origine
Tab. I. lin. 13. 883.	983.
Tab. III. in Ernesto lin. 5.	adde A. 1075.
Pag. 247. lin. 16. XIII. Kal. Maji	XIII. Kal. Maji, <i>ut mihi per scriptum.</i>

HANC  
VIENNAE  
*Quam vides Geometricam faciem Archi-  
medem Siracusanum Augustinus Hirsfogel a  
suo depictam radio imitatus est*  
Ano. MDXLVII.



Schlag Bruck

FL. DANUBIUS

IN VNTERN BERD

IN OBERN BERD



K49



1449

4/10 25-  
—  
1449 1/2 —

2/2

$\frac{VII}{145}$



